
Gp113
55
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY





DE PRODICO CEIO.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*	*Menda.*	*Corrige.*
5	15	inquirens	inquirentibus
ib.	19	atatis	ætatis
8	20	vorganger	vorgaenger
9	14	(*Sic interpunge*) :	crediderim, hunc ut etc.
12	31	vorganger.	vorgaenger
13	15	nonnuli	nonnulli
16	19	millies, opinor	omnino, opinor,
27	19	dicendi	docendi
28	25	vestustioribus	vetustioribus
33	20	secutı	sicuti
34	10	Jo Stobæus	Jo. Stobæus
39	25	unguntis	unguentis
44	10	(*Interrogationis signum subjice*).	
50	21	tantum modo	tantummodo
51	1	usque quo	usquequo
54	16	hahuit	habuit
56	34	Dliog. Laert	Diog. Laert
57	21	Herculo	Hercule
69	7	id	in
70	33	*ἀνθοώπων*	*ἀνθρώπων*
72	3	tantum	tantam
Ib.	9	allicicicbat	alliciebat
74	28	*καθόρνου*	*κοθόρνου*
76	12	meluis	melius
77	5	dissertus	disertus
88	17	Bœttiger	Boettiger
Ib.	34	Bœttiger	Boettiger

DE

PRODICO CEIO

SOCRATIS

MAGISTRO ET ANTECESSORE

APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM DISSEREBAT

E. COUGNY,

In Lyceo Biturigum Rhetorices professor.

PARISIIS,

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DES GRÈS, 5.

1857.

MEMORIÆ

OPTIMI ET DILECTISSIMI

SOCERI

JACOBI GALLOIS,

DEDICABAT

E. COUGNY.

DE

PRODICO CEIO

SOCRATIS MAGISTRO ET ANTECESSORE.



CAPUT PRIMUM.

Procemium. — Prodici vita, ingenium et mores; — Mors nobilis et Socratica. — Quædam de ejus moribus refelluntur criminationes.

Græcorum philosophorum genus est, quos prope omnes Socratis æquales et communi, quod ipsi præ se ferebant, nomine sophistas appellatos haud satis novisse videntur illi etiam qui maximam ejusmodi rebus disquirendis operam adhibuerunt. Nemo tamen est qui quales fuerint ignorare fateatur; cunctis ab omnibus male audiunt isti, et jam apud ejusdem ætatis homines hoc nomen non bene habitum esse compertum est. Equidem non infitias ire velim quin nonnulli inter eos, aut potius inter eorum discipulos digni fuerint qui tali ignominia notarentur; at contendere ausim quosdam et fuisse, qui a cetera turba haud immerito secernerentur. Sed, quia nihil discriminis factum sit inter vere sapientes et vanos sapientiæ ostentatores, plerique eos ideo tantum memoravere ut multa cum acerbitate, aucta ultra modum] probra in omnes pariter renovarent, quibus pauci quidem jure sunt afficiendi.

Attamen multæ erant causæ cur philosophorum historiæ scriptores caverent, ne ea levitate hæc promiscua tantis viris inferrent crimina : scilicet nonnullis iidem, qui Socrati, adversati sunt, et veteris comœdiæ poetæ, et quicunque priscæ civitatis formæ studiosi erant, quorum ut de hoc rescindere sententiam placet, ita de illis nolis confirmare. Etenim in illos quoque eadem ratione, iisdem de causis atque in Socratem exilio et morte sævitum est. Num Atheniensium legem, ubi in alteros animadvertitur, ut utilem et justam probabis, eamdem, si Socrates eodem crimine teneatur, ut perniciosam injustam que detestabere?

At Socratem jam dudum, denuò considerata causa, absolverunt posteri, et civibus ipsis haud longa fuit mora quin, mutatis partibus, in judicium accusatores vocaverint. Idem de quibusdam inter ejusdem temporis sapientes ita fieri potuit, ut eodem judicio, neque meliori jure damnarentur, quanquam in eos pejori fortuna usos et Socratis (quod miserrimum est) inimicis, iisdem et suis, annumeratos posterorum invaluerit odium et contemptio. Ceterum et hoc obiter notandum nullum ex egregiis illis Sophistis quales fuere et Gorgias, et Protagoras, et Prodicus, et Hippias, ullas cum Socrate inimicitias unquam gessisse, atque inter ejus viri accusatores recenseri. Scilicet illis, ut ceteris, errare accidit, sed, ut egregio animo et mente egregia fuere, ea libenter de philosophia vel acriora, quæ descripsit Plato, suscipiebant certamina, et victoriam adversarii, quod ægre ferre solent omnes, æquo animo plerumque confitebantur. Horum autem aliquot extitere, sicut et Socratis ipsius, discipuli qui, quum nihil quærerent nisi unde vulgo evaderent superiores, satis habebant doctrina leviter imbui, artemque oratoriam in primis amplecti qua viæ armaque sibi in promptu fierent. Istis igitur jure imponendum est nomen Sophistarum : attamen veram sapientiam vereque sapientem perosi aut dedignati, nihil in ejus exitium contulerunt.

Mihi quidem in animo non est quærere quosnam sophistas hac nominis infamia merito afficias, quibus autem non magis dedecori esse debeat quam fuit Soloni, Pythagoræ ceterisque priscis sapientibus, quos constat hoc vocabulo sine turpi nota fuisse desi-

gnatos (1). Ea enim foret universa Sophistarum historia, ingens onus, et quod prudens robustioribus humeris relinquam. Mihi sit satis tanti operis particulam tractare, atque inter omnes unum eligere Prodicum utpote quem vere philosophiæ amantibus annumerandum esse existimem. Scilicet vocabulum sophista, ut valet apud Platonem Xenophontemque, qua injuria ei inditum fuerit qui a populo dicebatur cognomine *Sapiens;* qui Socratem morum disciplinam docuit, et in vulgum, vel capitis periculo, recte vivendi præcepta diffudit; quem miratus æmulatusque est ipse Gryili filius, de quo Plato quoque nusquam sine honore, et eo vix qua solet ironia insperso, loquitur, diligenter excussis ponderatis que ejus et vita et doctrinis, manifestum fore confido.

Pauca admodum de Prodico cognita habemus : cujus vix mentionem obiter injecit in Vita Protagoræ Diogenes Laertius; ita ut, de illo inquirens, usque ad jejuniores obscuriores que Philostrati sophistarum *Vitas* descendendum sit, aut inferius etiam, ad Suidæ Eudoxiæ que collectanea et breviores in Aristophanem grammaticorum notulas. Prodici tamen apud veteres nullo tempore obsolevit memoria, et ejus opera aut suæ atatis auctoribus aut posterioribus sæpe sunt laudata. Itaque licet, omnibus his testimoniis collatis compositisque, hujus philosophi vitam, si citra quod velis, non saltem citra quod credas, conscribere, ita ut de eo, deque ejus doctrinis verius et melius quam quod vulgatum est, judicium feras.

Prodicus ergo noster qui Ceius aut Ceus (2), non Chius, neque, quod æque falsum est, Cous cognomine appellandus est, ut constat ex gravissimis veterum testimoniis (3) quibus lucem mi-

(1) Themist. *Orat. IV*, p. 105, edit. D. Petau. Paris, 1618, in-4°. Diogen. Laert. Procemium, 12-13. Amstelod. Ap. Henr. Wetsten. MDCVIII 2 vol. in-4°. — Cf. Herodot. I, 29, edit. Gail. 1821, in-8° et in primis Plutarch. *Themistocl. Vit.* C. II, Lipsiæ, 1829, in-18.

(2) Ut est apud Basil. Magnum *ad Adolescent.* edit. Benedict. T. II, p. 177, in-f°, 1721. — Vid. Bælii *Lexicon*; Menag. not. ad Diog. Laert. *Protagor. Vit.* — Fabric. II, 718.

(3) Vid. in primis Plato sexcentis locis, quæ passim postea laudantur, et Pseudo-Plutarch. *Vit. Isocrat.*

nime necessariam addidere recentiores (1), Iulide, in urbe insulæ Cei natus est; unde argui potest fuisse fere Atheniensis, siquidem, teste Herodoto (2) Ceii erant Iones, Athenis oriundi, qui bello Medico egregie partes Græciæ tenuerant, et eorum nobilis poeta, Simonides valde Atheniensibus probabatur, qui eum etiam corona donaverant. Immo ne in externorum quidem inquilinorum ve (μετοίκων) numero, Prodici tempore habebantur Ceii, quippe qui, ut Theramenes, rempublicam poterant capessere. Quum autem tradiderit Eusebius (3) Prodicum, omnibus ejus coævis consentientibus (4), circa LXXXVI floruisse Olympiad., minime a vero abesse videamur, eum circa Olympiad. LXXVI natum esse affirmantes (5). Hunc etiam Protagoræ Abderitæ institutione usum esse memorant, quod temporibus magis quam utriusque opinionibus convenit. Scilicet placitis Prodici attendenti haud improbabilius Empedoclis Agrigentini atque Anaxagoræ auditor fuisse videatur.

Gracili corpore fuit Prodicus atque adeo tenui valetudine, ut plerumque, vel juvenis, in lecto non jacere non posset, sicut accepimus a Plutarcho (6) et Platone qui in *Protagora* (9) eum inducit die jam multo adhuc recumbentem atque villosis pellibus, stragulisque multis omnino sese involventem. Quamvis ita impediretur, ea in ejus prudentia civibus suis erat fiducia ut sæpe res magnas ei demandarint, et domi, primo, ubi arbitri judicisque videtur obiisse munus, et postea foris, ubi plurimas gessit legationes (8). In judiciis autem tantam integritatis famam

(1) A. Cubæus. — *Xenophontis Hercules Prodicius, et Silii Italici Scipio, præmissa de Prodico dissertatione*, Lips. 1797. p. 1-3.

(2) VIII, 46; Κεῖοι... ἔθνος ἐὸν Ἰωνικὸν ἀπὸ Ἀθηνέων.

(3) Euseb. Pamph. *Chronic.* edit. Scalig. in-f°, p. 46; cf. 32 et 132.

(4) Aristoph., Xenoph. Platon., quorum testimonia vid. infra.

(5) Ant. J.-C. 476.

(6) *An seni respubl. gerenda sit.* p. 481. — Basil. Hier. Froben, et Nic. Episcop. M. D. XLII, in-f°.

(7) *Platon. Oper.* cum version. Mars. Ficin. Lugd. M. C. XC. in-f°, p. 195, F.

(8) Plat. *Hipp. maj.* 96, B.

adeptus est; ut Aristophanes, comicorum more, nomini proprio alludens, in *Centauro* eum, tanquam Cratetem Apuleius (1), litium omnium et jurgiorum inter propinquos amicosque disceptatorem laudaverit atque arbitrum (2). Ex ejus legationibus, in primis quas Athenis gessit, memoravere scriptores, quo, ut ait Plato, quum, Ceo publice profectus, in consilio dixisset, magnam omnium assensu gloriam reportavit, et rerum civilium habitus est peritissimus, licet injucunda et adeo gravi voce loqueretur, ut, si in loco concluso sonaret, strepitu quodam facto, verba verbis confunderentur; idque sane eo curiosius est notandum quod inde intelligitur quanta hominis debuerit esse eloquentia, qui incommoda voce usus, populo, oratorum suorum fastidiosissimo judici (3), placuerit.

Jam tum solitus est Athenis commorari (Olymp. LXXXVI; ante J. C., 436); et sive in domo sua (4), sive in ludis publicis (5), artem oratoriam philosophiamque docere professus est, sermones præcipue cum adolescentibus habens (6), quorum ingenio mirum in modum fecunditatem dabat (7). Poetarum quoque opera legebat (8) et præsertim quid fabulis significarent interpretabatur, tanta docendi comitate adhibita (9), ut omnium sibi conciliaret animos, invidentibus aliis magistris atque jam mala hac æmulatione quæ rivalitati (10) similis est, æmulantibus (11). Haud absurdum est credere ei continuatam esse a Ceiis

(1) Apul. *Florid.* XIV.

(2) Aristoph. apud. Suid. v. Πρόδικος. Vid. Erasm. *Adag.* chil. IV, cent. 11. Προδίκου σοφώτερος et Bæl. *diction.* v. Prodicus. — Cf. Hesych. Πρόδικος συνήγορος; Æschyl. *Agamemn.* 451, ubi vertitur *justitiæ vindex.*

(3) Cicer. *Orat.* VIII.

(4) Plat. *Hipp. maj.* 96, B. ubi vid. vir. clariss. V. Cousin translat.

(5) Pseudo-Plat. *Eryxias*, 743 F.

(6) *Hipp. maj.* ibid. *Apolog.* 359, F.

(7) *Theætet.* 118, A.

(8) *Protag.* 205-206.

(9) *Ibid.* 204; 212, G.; *Phædr.* 353, C.

(10) Cicer. *Tusc.* IV, 26.

(11) *Protagor.* 196, D. — Philostrat. *De vit. Sophist.* I, p. 487. Paris. Marc Orry, 1608, in f°.

apud Athenienses legationem, qua res publicas privatasque in μητροπόλει tueretur. Hoc autem munere dum fungebatur, quod cum eorum quos *consules* (1) vocamus, munere recte conferas, in notitiam sic Aristophani venit ut ejus justitiam comicus publicis laudibus ornaret.

Olympiadis LXXXVIII anno secundo, quo creditur agi *Eryxiæ* scena, in Lyceo, quod inter præcipua Athenarum gymnasia erat, publice docebat, ubi (adeo in philosophos male animatus erat populus, et ne quid in veteri puerorum institutione immutaretur (2), a legibus erat præcautum provisumque) die quadam in eum plus æquo a gymnasiarcho animadversum est. Aristophanes quoque, acerrimus ille omnium philosophorum agitator, qui, licet, ut ait Bælius, cavilletur, nequaquam obstat quominus ex verbis ejus Prodicum et mente magna et summa doctrina fuisse colligamus, jam tum maximam ejus auctoritatem arguit, atque eum dignatur quem eodem ac Socratem crimine premat corrumpendi juvenes (3). Interea crebrescere magis magisque Prodici fama et fieri multis urbibus ejus audiendi cupido, quas parvas magnasve, Thamyridis aut Orphei more, alliciebat (4); et profecto sibi jam nomen clarum fecisse argumento est quod apud Philostratum legitur (5).

Quum in Bœotia peregrinaretur, sive a Ceiis missus, sive privatis rebus susceptis, aut quia in quodam celeberrimo conventu specimen suî edere volebat, quippe qui, teste Luciano (6), apud

(1) In inscriptione quadam Cartheæ laudantur procurator et assessores qui ex illa insulæ Cei urbe missi erant Athenas, ut res ejus curarent; et sæpe legati, teste Platone in *Hippia minore* apud judices suorum civium in litibus de mercatura aut aliis causas agebant. V. Welcker; *Prodikos von Keos vorganger von Sokrates.*

(2) Æschin. *in Timarchum*, fere init.

(3) Aristoph. *Tagenist.*, apud Suidam voc. Πρόδικος.

(4) Hoc a Philostrato traditum, in *Vit. sophistar.*, et alibi (*Epistol. ad Juliam August.*) ceteris sophistis attributum e dicto quodam Platonis de Protagorâ (κηλῶν τῇ φωνῇ ὥσπερ Ὀρφεύς) manasse opinor.

(5) *Vit. Sophist.* I. Πρόδικος.

(6) *Herodot*, Sive *Aetion* 3. Edit. F. Didot, græc-lat. Paris M. DCCCXL.

magna Græciæ concilia, ut fieret nobilis, solebat verba facere, magnis honoribus a Thebanis affectus fuit; et Grylli filius, Xenophon ille, cujus, ut ait Cicero, sermo est melle dulcior; cujus et voce Musas quasi locutas ferunt (1), ibi carcere detentus (qua pugna captus, incertum) ea audiendi Prodici cupidine flagravit, ut, corporis vade constituto, disserentem auscultaverit (2). Xenophon autem tunc temporis jamdudum Socratis auditor erat, ut pote qui sexdecim aut duodeviginti annos natus ab illo ad disciplinam fuerat arcessitus (Olymp. LXXXVII, 4, sive LXXXVIII, 1-2). Hunc igitur minime ab audiendo Prodico, quasi parvi faceret, deterruerat Socrates qui, etiam apud Platonem, non semel fatetur se Ceii, institutione et familiaritate ipsa usum esse (3) atque illi quasi in matrimonium multos obtulisse fecundandos adolescentes (4). Jam libens crediderim hunc, ut audirent, et Xenophonti et suo Alcibiadi suasisse Socratem: nam pulcrum Cliniæ filium, in *Pro-*

(1) *Orat.* 19.

(2) Hunc Philostrati locum sexcentis modis vexaverunt interpretes, in quo nonnulli, ut Mich. Neander, nihil prope viderunt. Etenim somniat ille (in *Libro aureo*) inter plurima, vadem a Xenophonte datum ut Athenas, Prodici audiendi causâ, rediret. Alii de pugna multum disputavere. Deliacam conjecere plures, inter quos vir doctiss. Letronne (*Biographie Universelle*, voc. Xenophon). Sed Xenophontem in hoc prælio a Socrate, mediis ex hostibus ereptum fuisse novimus (Strab. lib. IX; Diogen. Laert. II, 22), quanquam pro Xenophonte Alcibiadem tradit Plutarchus (*Vit. Alcibiad.*) Adversus hanc opinionem Welckerus, qui totam rem in dubium vocat, Thucydidis (IV, 96) testimonium affert, quasi hic diceret nullos ex ea pugna abductos esse a Thebanis captivos, quod frustra apud Thucydidem requiras.

Krüger (de *Xenophont*, vit. p. 17, 1822) putabat hoc fieri potuisse Oropi (Olymp, XCII, 1) quod satis veri simile videtur, quippe oppidum hoc, in quo erat Atheniensium præsidium, Bœoti per proditionem ceperunt (Thucyd. VIII, 60), nisi malis aliquem suspicari congressum, quales in diuturnitate belli mille sane fuere, minores tamen quam ut scriptores memorarent.

(3) *Meno*, 22, C; *Protag.* 205, H; *Cratyl.* 257, E; *Hipp. maj.* 96, B. Cf. Æschin. Socratic., sive cui malis adscribere *Axiochum* (729 C.) et *Eryxiam*.

(4) *Theætet.* 118, *A;* Cf. Simplicius in *Enchirid.* Epict. XLVI, p. 311, Edit. Heinsianæ.

tagora, inter juvenes audiendi Prodici cupidissimos vidimus. Cui fortasse adfuit in Bœotia Xenophon aut recitanti illam Herculis præclaram laudationem cujus partem eximiam nobis tradidit, aut de agricultura nonnulla egregie disserenti, quorum postea meminit in *OEconomico*. Lacedæmonii autem longe majoribus eum quam ipsi Thebani honoribus adauxere (1), quippe quibus nihil æque studentibus quam unde meliores fiant homines (2), summopere placere debebant quæ tanta sapientia, neque minori eloquentia de virtute prædicabat Prodicus. Nempe is, quem pecuniis inferiorem fuisse voluere, gloriam omnibus potiorem habuisse constat; quam ut adipisceretur, orationes gravibus sententiis, magnificisque verbis ornatas, in maximo quoque, sicut supra dictum est, Græciæ conventu, quam πανήγυριν vocabant, (3) solebat ostentare. Inde quum celeberrimus evaderet, Gorgias Leontinus, quem discipulis ejus adscribunt nonnulli (4), tantum nomen æmulatus, voluit quoquo modo superiorem sese jactare; non solum igitur orationes accurate et exquisite scriptas, qualem Olympicam suam, in solennibus illis Græciæ feriis recitavit, sed et in Atheniensium theatrum prodiit, et « proponite quodcunque libeat ad disputandum » dicere ausus est, atque Prodicum tanquam obsoleta et sæpius dicta iterantem cavillatus, palam professus est se omnia scire et de quaque re composite et ex tempore posse dicere. Ceterum convenit inter veteres Gorgiam extemporalis orationis tenuisse principatum (5). Sed necessario accidit ut, summis rebus tantum libatis, speciosa traderet, sed eadem levia, inania, et nullo fere rerum pondere innixa : quod omnibus sophistis pari acerbitate,

(1) Hic iterum Philostrati sententiam corrupit Mich. Neander, quum addidit Prodicum à Lacedæmoniis, ut juventutem doceret, magnopere esse rogatum.

(2) *Hipp. maj.* 96.

(3) Lucian. *Loc. cit.*

(4) G. A. Cubæus; qua auctoritate fretus, nescio : v. libell. cit., p. 4.

(5) M. Neander hoc sibi quoque sumpsit ut diceret a Gorgia *ad extempo ralitatem* inductum fuisse Prodicum. (*V. Liber Aureus*, p. 46. Basil. Oporin. 1559, in-4°.)

impari æquitate, exprobratum est. Hanc vero extra culpam semper fuit Prodicus, atque sat perspicuis confirmatur argumentis eum gravi sublimique opinione amplexum esse philosophiam, si quidem Socrati, in *Euthydemo* (1) semidoctos notanti vere doctis, qui eis pellem detrahunt, infensos, eosdemque mixti generis oratores quos neque in conciliis, neque in judiciis verba facientes unquam videas, quique, pecunia præsenti, patronis, *politicis* ve, ut Græci dicunt, viris a se scriptas vendunt orationes, præsto fuit quod de istis dicebat Prodicus, « eos inter philosophum civilemque virum confines esse. » Nonnulla etiam ex ceteris quæ de iisdem sequuntur, ex Ceio quoque sumpta esse existimem. Hic autem et vere erat philosophus, pari studio colens atque tradens scientiam sapientiamque (quod unum antiquis et idem habebatur), et illam quæ de rerum natura est, et hanc quæ in disputationibus de bono ac malo, deque hominum vita et moribus versatur; et verus erat orator, quo nomine, repugnante frustra quodam grammatico, (2) merito eum appellavit Callimachus. Etenim, ut supra diximus, suscepto patriæ suæ et civium suorum patrocinio, Athenis illius apud senatum, horum, apud judices causas egit. Præterea Prodici nomini idem græce sonanti ac συνήγορος (3) et διαιτητὴς, alludere solitos comicos comperimus : igitur quam dicendi artem docuit, eam ipse egregie exercuit.

Præcipuam tamen Prodicus dedit operam philosophiæ, quo melius eam disceret, doceretque; et, quamvis Athenarum domicilio uti assueverat (Olympiad, XCI, 2), ubi ab Aristophane de eo injicitur mentio ut jam tum physicam ita docente ut ceteris præniteret magistris (4), quum potius eum induxerit Comicus in quo scientiam philosophorum derideret, patet tamen ex quodam *Theagis* loco (5) ad verbum in *Apologia* iterato, eum diversas adiisse urbes, ubi

(1) P. 228, G.

(2) Aristoph, Schol. ad Av. V. 691, — Attamen fatendum est verbo ῥήτωρ. *rhetor*, potius quam *orator* hic posse significari.

(3) Hesychius. V. Πρόδικος.

(4) *Nub*. V. 361.

(5) *Theag*. 10, F ; *Apolog*. 359, F.

unam alteram ve ἐπίδειξιν faceret, aut etiam totam de aliqua re doctrinam explicaret. Præterea, ex loco *Hippiæ majoris*, tam sæpe laudato, quo dicitur proxime Athenas e Ceo publice advenisse, facile perspicitur eum non omnino patriam omisisse, quum ab ea ad Atheniensium aliasque civitates, legationis titulo, mitti soleret (1). Hoc enim non significari potest eum tum primum Athenas petiisse , quoniam a Socrate nuncupatur « familiaris noster » (ὁ ἡμέτερος ἑταῖρος) (2), ex quo cum illo antea satis diuturnam consuetudinem hunc habuisse colligam. Ad hoc tandem, quum in privata schola aut gymnasiis publicis docebat, tum quoque apud privatos quosdam, quos ut Calliam , Hipponici filium, juvabat philosophicis disputationibus interesse (3), de multis quæ ad scientiam aut vitæ consuetudinem pertinent, varie sciteque disserebat.

Sic usque ad longam senectutem eadem apud multos auctoritate, eadem apud omnes fama vixit : namque eum in *Politicis* et in *Theage* (4) , quorum utraque scena agi putatur anno Olympiadis XCII secundo aut quarto, memorat Plato tamquam adhuc Athenis conversantem et a permultis tam bene amatum, observatumque « ut vix sese continerent quin eum sua supra capita circumfer- » rent. » Quatuor post annis (Olympiad, XCIII, 3) , apud morientem Axiochum inducitur Socrates, quæ de vita, morte atque immortalitate disseruerit Prodicus, referens; et simul atque ille apud judices (Olymp. XCV, 2) eam, quam sibi unice convenientem judicavit, agit defensionem, hac in oratione, florentis adhuc Ceii mentionem facit.

At veri videtur esse simillimum non diu sapientissimo viro, eidem suo discipulo atque amico superstitem vixisse Prodicum. Eo enim tempore , simul ac reipublicæ procuratio populo redde-

(1) Hæc a Platone tam clare asseruntur, ut mirum sit quod a viro doctiss. Welckero in adversum contenditur, Prodicum nusquam nisi Athenis docuisse. (*Prodikos von Keos vorganger von Sokrates.*)

(2) *Hipp. maj.* 96, B.

(3) V. *Protagor.* 195-196; *Axioch.* 729; Æschin. *Callias* apud Athenæum V, 62, quo in opere præsertim comice deridebatur Prodicus.

(4) *Politic.* x, 512. *Theag*, 10, F.

batur, asperius in philosophos sævitum est; atque Socrates cui, Triginta Viris dominantibus, minæ tantum ac terror intendebatur (1), tunc, quasi adolescentes corrumperet, veneno necatus est. Concessere Megaram Socratici; et Prodicus, qui jam sæpe antea, ut memoravimus, in comœdiis lacessitus, atque paulo postquam advenerat Athenas, e Lyceo jussus erat exire, tanquam non idonea adolescentulis dissereret, si vero non idonea, nimirum mala, (ea autem erant quæ de Diis Deorum que beneficiis haud legum formulis consentanea afferebat), in judicium vocatus, eodem atque Socrates corruptæ juventutis crimine, et capitis damnatus, venenum bibit.

Hic igitur non abs re alienum puto notare populum ipsis tyrannis multo infensiorem fuisse in philosophos : quos ceterum haud bene unquam in populare imperium animatos fuisse constat, quorumque nonnuli inter Triginta Viros numerantur discipuli, ut sunt Critias, Theramenes, Aristoles quidam (2) et alii. Facilius enim erat populi fautoribus eum in philosophos impellere, quos asseverabant patriæ religionique exitium parare, id est templa, festos dies cum sacrificiis cærimoniisque omnibus, quibus æque ac pane populo opus est, tollere velle (3). Inde a comicis et ceteris in philosophos facili marte pugnatum; inde præparatum de Prodico capitis judicium. Aristophanes enim, qui jam in *Nubibus* eum attigerat, tanquam ex omnibus cœlestium rerum speculatoribus foret istis inanibus personis gratiosissimus, unusque quem jam audire vellent (4), sexcentis fabulæ istius locis deridet, quos μετεωροφένακας et μετεωρολέσχας vocat, philosophos, his nominibus in

(1) Xenoph. *Memorabil.* I, II, 31, sqq.

(2) *Parmenid.* 54, F.

(3) Plutarch. *Vit. Pericl.* XXXII, et *Niciæ*, XXIII.

(4) Si commentatori Aristophanis fidem habeas, Prodici prudentiam doctrinamque laudabat quo magis Socratem elevaret. Sed neque grammaticus ille, neque omnes ejus vestigiis instantes critici animadverterunt hoc in ore *Nubium* esse positum, ita ut quidquid ab eis laudatur, irrisioni laudati verteretur.

contemptionem vulgi et invidiam adductos (1). Quidquid cavillatur ad hoc spectat, quod Socrates, quorumdam judicio, totus perscrutandis meteoris incumberet : quocirca, et multis post annis, in accusationis libello dictus est ille *injuste agere investigando quæ sub terra et in cœlo sunt*. Id autem religioni finitimum : et jam impiæ, ut aiebant, curiositatis, iisdem causis quibus, vix ducentis ab hinc annis, Gallilæus, pœnas prope dederat Anaxagoras. Igitur ubi quis voluit philosopho exitium parare, satis superque erat si eum talia scrutari criminaretur apud populum, qui vix patiebatur, ut loquitur Plutarchus, hos cœlestium rerum indagatores, quasi in causas irrationales et potestates improvidas necessariosque effectus Deum proterentes (2). Ita cum Protagora egerat in *Adulatoribus* Eupolis, insimulans quod ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος περὶ τῶν μετεώρων ; ita cum Anaxagora Diopithes (3), rogatione ad plebem lata, ut deferretur quisquis nova de cœlestibus doceret ; ita cum eodem Cleon (4), qui eum propter opinionem de sole impietatis reum postulavit ; ita cum Socrate in *Nubibus* Aristophanes quem nemo, nisi si quis lucem velit negare, neget Meliti quamvis seram accusationem instruxisse (5) ; ita et cum Prodico egit idem in *Avibus*, quarum sub personis, liberiore, ut solebat, usus allegoria, traduxit istos nobili familia adolescentes, rerum novarum cupidos, quorum auxilio quidam misera ambitione flagrantes, ut arcem occuparent, innitebantur. Quos omnes ut a populari civitatis statu et majorum institutis videt abhorrere poeta, et, ne ea penitus subvertant, timet, ita et odit et mille insectatur modis. Idcirco cum Evelpide qui maximas quoque in novitatibus *spes* habet, inducitur Pisthetærus per quem nihil aliud suspicor

(1) V. *Nub.* 333. In fabula, qualem nunc legimus, posterius vocabulum a Suida allatum non reperias ; legitur apud Plutarchum, loco infra citato.

(2) In *Vit. Niciæ.* XXIII. Cf. Bossuet, *Disc. sur l'Hist. universel.* II[e] part. « Athènes prenoit pour athées ceux qui parloient des choses intellectuelles. »

(3) Plutarch. in *vit. Periclis*, XXXII. Cf. id. in *vita Nic.*, ibid.

(4) Diog. Laert. II, 12.

(5) Plat. *Apol.* 359, E.

effingi quam unum ex præcipuis sophistarum discipulis, qui adolescentibus quodam consortio sibi devinctis quidquid placet ita persuadet (id scilicet fere sonat nomen) ut tandem eorum auxiliis *Dominationem* in matrimonium ducat. Quod quidem et Pericli primum, et deinde Aristoteli, de quo supra memoratum, et Therameni Ceio et Critiæ permultisque contigit (1) aliis, sicut præsenserat vir iste popularis Anytus quem tanta ira in philosophos omnes et eorum discipulos in *Menone* percitum videmus, quique postea oppressæ a paucis potentibus reipublicæ injuriarum a Socrate petiit pœnas. Isto igitur instigante Pisthetæro, nihil minus sibi volunt Aves quam ut volucrum genti pendere vectigal aut etiam de regno cedere jubeantur Dii. Eædem contra mortalibus pollicentur sese effecturas ut plane intelligentes *quidquid fiat in cœlo, unde orta sint numina et flumina, Erebusque et Chaos, jam Prodicum in malam rem abire jubeant.* Quo clarius deferretur hic, ut pote qui præcipuas teneret partes inter perniciosos (quod opinabatur vulgus) occultarum rerum investigatores, vanosque somniorum captatores qui, veterum moribus paulatim sublatis, omnia funditus parabant immutare? Attamen eum non eadem libertate qua Socratem notavit, quod sibi magnas conciliaverat amicitias, cavebatque deligenter ne nimis antiquarum legum amatores offenderet. Sed ejusdem *Avium* chori canticum attendite, quœso, quomodo exordiatur : nonne hoc putetis emanare ex istis locis quibus haud semel de vitæ humanæ incommodis disseruit Prodicus (2)? nonne et in sequentibus aliquid quæstionum naturalium quibus multam impendit operam, deprehendatis? Præterea in *Tagenistis* haud abstinuerat idem poeta auribus populi, quominus testaretur « *juvenes a Prodico corrumpi*, » eique iisdem verbis idem atque Socrati crimen moveret. Quod postquam longo tempore auctum est, tandem exarsit in utrumque et pariter invaluit. Illum haud secus atque hunc vitæ præteritæ honesto exitu respondisse facile credas, atque in hac suprema necessitate

(1) Xenoph. *Hellenic.* II, III, 2. Cf. id. *Memorabil.*. I, II, 12, 16 sqq.

(2) V. *Axioch.*

Socrate et Theramene (1) discipulis suis sese dignum præbuisse.

Ego quidem cum videre mihi videor prope octoginta annis natum, exiguo infirmoque corpore, longa ætate attritum attenuatum que, quomodo leniter more suo subridens (2), hac animi infracta æquitate, quam e philosophiæ præceptis, Ceiorumque suorum institutis (3) duxerat, exhausto cicutæ poculo (4), exspectaverit mortem. Tunc profecto, oculis in cœlum defixis, toto animo contemplabatur illam veram, quam vocavit, animæ patriam, semper his in terris, hoc in corporis tabernaculo desideratam, illas cœlestes choreas ubi certum boni tenent locum, quum terreno e carcere evolaverunt (5). Hinc ea, quam omnibus semper adhibuit, Prodici benignitas : ut cœlo cognatorum hominum unam esse gentem credebat, diis beneficiorum memoria addictam, sic humanos etiam cœtus mutuo operæ præstandæ commercio constare et coalescere voluit. Minime igitur dubium quin ea mente hunc sæpe Epicharmi siculi versum dictitare solitus sit :

Ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι καὶ λάβε τι. (6)

Ceterum hoc non semel apud Græcos vulgatum reperias et illis profecto qui Prodico id vitio vertere volunt, millies, opinor; hæcce vetustis versibus expressa, si forte occurrerit, probata est sententia :

Ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα καὶ πόλις σώζει πόλιν·
Χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλός τε δάκτυλον. (7)

(1) Quo animo hic mortem injustam tulerit apud Xenoph., *Hellenic.* II, 3, 56, videndum; conferend. que Cicer. (*Tuscul.* I, 40), qui non potest non exclamare *se à Theramene delectari.*

(2) *Protag.* 212, G. *Phædr.* 353, C.

(3) Menand. apud Strab. 486-487. Edit Casaub. MDCXX, in-f°.

(4) Suidas, V. Πρόδικος Eudoxia, Ἰωνιά in-f°. 365.

(5) Prodic. apud Æschin. in *Axioch.* 729, F.

(6) Ibid. Cf. Stob. *Serm.* x. p. 127. Aurel. Allobrog. 1609, in-f°. — Erasm. *Adag.* Chil. I. cent. I. 33. Vid. quoque B. Rhenan. not. ad *Apocolokintos.*, ubi laudatur hoc « proverbium de opera mutua præstanda. »

(7) Hos versus inter sententias collectas sub titulo εἰς Βοήθειαν reperias. (*Poetæ gnomici græci*, Leipsiæ, 1829, in-18, p. 170, V. 50-54.) In gnomicorum sylloge edita παρὰ Ε. Ὀυεγγῶνι, α'φ'π'δ'. sic continuo apponuntur duo versus.

Hinc autem quid significarit Epicharmus, quid voluerit ipse Prodicus satis apparet. Nonne idem quam quod Sophocles (1) paucioribus cecinit verbis : ἡ χάρις χάριν φέρει, quodque, Ciceronis verbis usurpatis, libens sic vertam : « Nihil mutua bonitate et beneficentia esse melius aut præstantius hominibus. » (2).

Jam autem quid attinet diluere crimen quod jactatum est in Prodicum, eum pravis voluptatibus deditum fuisse ? Id enim qui memoravit, ipse Aristophanis interpres, falsum esse quoque notavit(3), et apud unum Philostratum (4) vix aliquid hujus criminis, et verbis attenuatum, superest ; neque sunt veterum, aut Platonis, aut Xenophontis, aut ipsius Aristophanis ulla testimonia. Satis ergo sit nobis repetere quod supra haud semel diximus, ea infirma valetudine fuisse Prodicum, quæ non libidines pateretur ; et Platonem testem adducere, qui paulo postquam illum in *Protagora* induxit, mentionem facit Pausaniæ in deliciis habentis Agathonem quocum assidebat proximis a Prodico sedilibus, sed nusquam indicat eum amoribus istis fuisse deditum, quibus, si nonnullis habenda fides, nimio plus ipse indulgebat Socrates (5). Imo, inprimis non minus de puris moribus quam de bona civitatis regendæ ratione ab omnibus antiquis Ceios audivisse notabimus (6). Eos videlicet credamus, quorum in urbibus neque meretrices licebat intueri, neque tibicinas (7), virum vitiis deditum dignaturos fuisse quem legatum Athenas et alio sæpe mitterent,

(1) *Œdip. Colon.* v. 813.— Cf. *Ajax.* v. 522. Eurip. *Helen.* v. 1254.

(2) *De Natura Deor.* 122.

(3) Schol. in Aristoph. *Nub.* v. 333. ἐν κιναιδίᾳ διεβάλλετο. Ruhnkenius suspicabatur hæc verba loco mota esse et referenda ad vers. 355, ubi de Clisthene impudico agitur : sed hoc nihil ad rem.

(4) καὶ ἡδοναῖς ἐδεδώκει. loc. supr. memorat. Hoc Philostrati testimonium jam nullius esse momenti demonstravit Hardion (*Mémoires de l'Académie des inscriptions,* in-12. T. 36, p. 282.) Quo tamen omnes postea innixi iteraverunt criminationes facili indignatione cumulatas. V. Meiners, *Litter. Histor.* I. 181, 208. —Carus. *Script. postum.* IV. 510 et ceteri.

(5) Lucian. *Vera Histor.* II. 19.

(6) Plat. *Leg.* I. *Protag.* 206. C. — Aristoph. *Ran.* v, 970.

(7) Athen. XIII, 91.

ubi præsertim suæ par erat famæ consulere? Igitur et antequam legatus primum venit Athenas, et postea vir probus fuit Prodicus, tam vitæ integritate, quam perpetuo justitiæ patrocinio insignis.

CAPUT SECUNDUM.

De duplici docendi ratione apud veteres philosophos. — De his quas vocant ἐπιδείξεις (demonstrationes). — *Quid in esoterica et exoterica disciplina docuerit Prodicus? — De præceptione venali et venatione sophistica. — An iis usus fuerit Prodicus.*

Hoc satis compertum habere possumus antiquis philosophis, ex quo, rerum naturam scrutati, in opiniones adducti sunt publicæ religioni contrarias, visum esse, ut caverent vulgi invidiam et civitatis paci, non tamen omissis quæ postularet veritas, parcerent, doctrinam in duas partes dividere necessarium, quarum unam vere philosophiæ studiosis reservarent, alteram cuilibet erudiendo impertirent. Ita fecisse quoque jam Pythagoram nemo, ut opinor, infitias eat, et superiori ætate, de Pherecyde Syrio idem fortasse credendum (1). Parmenidem vero Eleaticum hanc philosophandi varietatem multi nostra fide digni, et ipse, testantur (2). Socrates quoque primum pristina in docendo prudentia usus est, quod non solum ab Aristophane arguitur, in *Nubibus*, ubi quædam discipulis aut initiatis, quibus, ut loquitur bonus ille Strepsiades, φροντιστήριον (id est quasi *meditatorium* seu contemplandi officina) ingredi fas erat, quodam modo reposita esse arcana videas; (3) sed et apud Platonem, in *Theæteto*, (4) magister ingeniosum juvenem monet circumspicere et diligenter cavere ne quis profanus audiat, atque in sexto *de Republica* libro, idem philosophari vulgum non posse, quin imo necesse esse ut ab eo philosophantes

(1) Thalet. *ad. Pherecyd. Epistol.* apud Diog. Laert. I. 43; minime tamen nos fugit has omnes suppositias esse epistolas.

(2) Apud Simplic. ad Aristot. *Auscultat. Physic*, f°. 9, A; 7, B; 31 A. Joann. Philopon ad easd. f°. 9, A. Cf. Platon. *Parmenid.* 56, C. Vid. et F. Riaux, *Parménide d'Elée*, MDCCCXL, in-8°, p. 23.

(3) Aristoph. *Nub.* v. 142.

(4) p. 473.

vituperentur declarat (1). Id illi mox curæ esse desiit, quod philosophia indignum existimabat, et perpetuam sui audiendi omnibus copiam fecit. Utroque docendi more Prodicum quoque usum esse constat : primum imitatus alios, suumque magistrum Protagoram, qui discipulis solis in arcano (ἐν ἀποῤῥήτῳ) explicabat veritatem, auditorum autem plebeculæ (συρφετῷ) allegoriis involvebat (2), exempla fortasse superavit. Etenim, initio dialogi cui nomen ipsius inscribitur, Protagoras declarans sese absque omni verborum obscuritate docere, sese ostentat, inquit Socrates, jactatque apud Prodicum, sic oblique, ut opinor, perstrictum, quod quædam docendi mysteria observaret. Sed plerumque quidquid præcavendum erat, omisit, ut argumento sunt quæ ei in Lyceo, testante Socrate in *Eryxia*, evenere, quum insanire visum e gymnasio tandem ejicerent. Ex his quæ decimo fere anno postquam primum commoratus est Athenis, summa sapientiæ fama florenti evenere, potuit intelligere quo animo essent homines erga philosophiam (3). Duabus igitur philosophandi viis usus est Prodicus, quum alia doceret omnibus accommodata, alia in paucorum modo familiarium sinum deponeret. Priori docendi generi quod *exotericis* Aristotelis disputationibus, haud secus atque *acroamaticis* seu *esotericis* posterius, conferendum est, assignari possunt quas vocant ἐπιδείξεις, quo vocabulo non tantum factæ ad ostentationem significantur orationes, sed omnibus traditæ demonstrationes, ut colligere est ex multis Platonis locis, atque in primis ex *Sophista*, ubi Eleaticus philosophus se pudere ait quod non verbis vicissim datis redditisque disserendi societatem vel commercium ineat, sed, extensa in longum oratione, aut ipse per se aut cum alio respondente, quamdam demonstrationem faciat (4). Quintilianus ipse, qui primum vult ἐπιδεικτικὸν

(1) Plato ipse testatur ses suas orationes neque in vulgus extulisse, II. *ad Dionys. epistol.* p. 707. EF.

(2) *Theætet,* 118, E.

(3) *Eryx.* 744, D.

(4) « *Comme si je faisais une démonstration publique.* » Cousin, Trad.

non tam demonstrationis vim habere quam ostentationis, nonnullis ea de re (tanti magistri pace dixerim) satis confuse additis, id genus *quale sit quidque demonstrare* fatetur (1). Minime quidem dubium credo illum, quum coram permultis auditoribus dissereret, valde accuratas attulisse orationes, per quas eis et placere posset, et animos virtutis amore aut litterarum, ingenuarumque artium omnium studio imbueret. Parmenidis exemplo (2), Prodicus opinioni, (δόξῃ) parcebat, id unum ex veritate afferens quod omnes mente possent comprehendere, et quos *locos communes* nominavere veteres, et ipse Quintilianus (3) ; ex quo Prodicum fuisse inter primos λογοδιδάλους qui eos dicebantur tractasse, comperimus. Apud eosdem clarorum poetarum, in primisque Simonidis, popularis sui (4), carmina recitabat, interpretabaturque, aperiens quid ad mores vitæque consuetudinem conferrent, quid recti, quid pravi eorum operibus inesset (5). Nonnunquam aliqua ex iis sententia excerpta quid vellet, ut Protagoras, in ἐπωνύμῳ Platonis dialogo, explicabat. Hoc oratoriæ exercitationis genus postea nunquam a dicendi magistris omissum, et inter quæ vocant προγυμνάσματα, occurrunt, nomine γνῶμαι, Homeri, Theognidis, aliorumque versus ita explicati et commento adaucti (6).

Qua quidem extranea disciplina præcipue tandem usum esse Prodicum probabile est; et, quum ad virtutem, optimamque vivendi artem conduceret, pristinæ instituendorum puerorum rationis sectatoribus placere debuit, in primisque Aristophani qui

de Platon, XI. 165. Eodem sensu et fere sexcenties talia idem dici voluit. Cf. Ælian. *Var. Hist.* IX. 36.

(1) *De Institut. Orat.* III, IV. 13.

(2) Vid. Simpl. et Philopon., et Fr. Riaux, locis citat. — Cf. Parmenid. fragm. edente Fr. Riaux, p. 209, 223.

(3) Ibid. III, I, 12.

(4) *Protagor.* 206, A.

(5) *Ibid.* 205, A.

(6) V. Aphthon. et anonymi Bituric. Bibliothec. mss. Progymnasmata.

pro more comœdiæ, sibi Prodicium Herculem in bivio asseruit, quem in *Nubes* induxit sub adolescentis Phidippidæ persona de quo regendo contendunt Δίκαιος λόγος et Ἄδικος λόγος. Antea, atque ex quo nobilitari cœperat philosophus, et egregiis viris placuerat ab illo petere ut reconditiores sapientiæ thesauros aperiret, his selectis discipulis in umbra ostenderat quid docerent veteres, quidque pro vero habendum esset de mundo, deque ejus origine et mutationibus, de elementis, de Diis, de vita ac morte (1), quæ diligenter ipse de loquendi origine et usu atque nominum proprietate disquireret. Sed scientiæ amore impulsus, virtutisque illis et periculis et laboribus et præmiis, quæ tam scite descripsit, invitatus, omni salutis suæ sæpius omissa cura, sua de rebus divinis, quæ in interiore schola melius contenta fuissent, placita omnibus tradidit, et, quod nunquam prisci voluerant, in cujusvis generis hominum cœtu suam exprompsit sapientiam (2).

Nunc quanti valeat illa toties in Prodicum repetita criminatio, quam quidam libentius amplexi, ceteris sophistis pejorem eum fuisse affirmaverunt, perpendamus, scilicet neminem, nisi mercede pacta, et pro rata doctrinæ portione, Prodico magistro usum esse (3). Ex hac tam variis modis iterata a Socraticis omnibus criminatione fluxerunt omnes in eum declamationes, quæ quam multæ, quamque acerbæ sint longior esset mora si vellem enumerare. Si Platonico Socrati, comicorum more, Sophistas deridenti credere velis, omnes priscos philosophos gratis docuisse credas (4). Sed satis notum est plerosque eorum opibus abundantes, philosophiæ tantum, ut sibi in hac re morem gererent, studuisse. Protagoras autem, qui dicitur primus disciplinæ mercedem expoposcisse (5),

(1) *Axioch.* 729, F.

(2) *Hipp. Maj.* 96, B.

(3) *Axioch.* 729 F. Cf. Platon. sexcent. locis.

(4) *Hipp. maj.* 96 B, et alib.

(5) *Protagor.* 209, B. Id sibi crimini versum iri intellexit : namque *De Mercede justa* scripsit opus in quo objecta diluisse credi potest. Diog. Laert. IX, 55.—Cf. Philostrat. in *Protagor. vita*, qui forsan ex libro Δίκης ὑπὲρ μισθοῦ id retinuit, quod subjungit : « Rem primus tradidit Græcis minime reprehen-

erat pauperrimus (1). Sed enim antea, Eleates Zeno, qui Sophistis vulgo non annumeratur, a discipulis pro mercede centum minas, quod et de Protagora dicitur, exegit, ut memorat Olympiodorus, qui hanc optimam facti causam affert, nihil profecto esse injusti, si, medici ceterorumque instar, justum pro curis quas aliis erudiendis impendit, pretium accipiat philosophus (2). Prodicum et in tenui re vixisse constat, quod in Xenophonteo *Convivio* testatur Socrates (3). Denique, quænam pauperi philosopho est copia vivendi, nisi, constituto pretio, doceat? Quod sane liberius est quam si quis ditior philosophus ejus cibo ceterisque rebus juvandi provinciam susceperit : namque iste necessariorum provisor, sæpius officii sui oblitus, moneatur oportet, lumini, ne extinguatur, instillandum esse oleum (4). Num potius digniusque philosophia videtur ad puteum, ut Cleanthes (5), aut in pistrinum, ut Menedemus (6), descendere? Quid plura? Et Socrati, licet ejus curam bene egisse dicitur Crito, non ab uno illo *Nubium* derisore (7) multos munera multa discipulos (8) obtulisse didicimus. Quapropter affirmare quidam potuere Platonem, qui dives erat, primum gratis docuisse. Prodicus autem, quamvis inopia sæpe laboraret, haud multo minore erga discendi cupidos benignitate usus est, utpote qui sæpe minimam (unam drachmam, aiunt,

sibilem. Nam ea studia quæ sumptu comparamus, longe cupidius complectimur quam quæ gratis exsequimur. » Quod quanti æstimet argumentum, quisque perpendat.

(1) Epicur. *Epist.* apud Athen. VIII, 50, et Diog. Laert. IX, 53; Aul.-Gell. *noct. attic.* V, 3; Suid. v. Πρωταγόρας, ubi citatur Aristoph. in *Centauro*.

(2) Cousin, *Fragm. philosoph.*, in-18, 1847, p. 250. — Cf. id., ibid., p. 79.

(3) IV, 62.

(4) Plut. *vit. Pericl.* XVI.

(5) Diog. Laert. VII, 168.—Suidas, in φρεάντλης. —Val. Maxim. VIII, 7. — Senec. *Epist.* 44 et alii.

(6) Diogen. II, 131. — Athen. IV, 168. Edit. Lips. in-18, 1834.

(7) Vid. *Nub.* v, 1146 et alib.

(8) Senec. *de Benefic.*, I, 8; VII, 24.

duosve obolos) (1) mercedem exegit. Quid indè? eum variis pretiis, ut ex isto *Axiochi* loco colligunt, doctrinam venalem habuisse (2)? Quomodo autem possis credere magistrum ea ingenii et scientiæ laude florentem, sese quasi vulgo publicasse, atque una drachma, duobusve obolis cuilibet petenti hanc illamve sapientiæ partem tradidisse? Jam et minime quod de quinquaginta drachmis vendita *demonstratione* dicitur, congruere videas, quippe quæ nimis distat a ceteris. Igitur id fieri nequit ut ea uno tantum cum discipulis colloquio constaret : qua de re tota cuique diligenter attendenti facile est animadvertere a Platone aliisque Socraticis (3) id comice agi, quod invideat Aristophanes, sicut illis, et præsertim de Prodico sæpe exprobratum (4). Ego libentius crederem L drachmas cujusdam magnæ partis pretium totius institutionis fuisse, ut, verbi gratia, præceptionis τῆς περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος, cui, ut satis explicaretur, multis orationibus opus erat; quibus constitisse quam vocant demonstrationem (ἐπίδειξιν) satis perspi-

(1) *Axioch.* 729, F.

(2) Mirum sane quod Hardion et Bartholomæus qui de multis rectum Prodici fecere judicium, hanc opinionem admiserint. (*Mémoires de l'Acad. des Inscriptions*, in-12, XXXVI, p. 259; *Anacharsis*, c. 58 et 77). Sed satis mirari non possum quod in librum maxima diligentia compositum, quem universæ philosophiæ templum merito dixerim, ea in Prodicum declamatio irrepserit, quæ omnes facile violentia superat. Quod minime veræ et magnæ philosophiæ quadrat : « Nihil enim magnum quod non et placidum. » Vid. *Dictionnaire des sciences philosophiques*, art. *Prodicus*.

(3) Æschini, quem ferunt auctorem fuisse *Axiochi*, ubi cavillatur in Prodico « nemini, nisi soluta mercede licuisse, istius orationibus interesse, » necessarium fuit, ut erat pauperrimus, sermones facere mercenarios (Diog. Laert. II, 61-62). Aristippum quoque ex doctrina pecuniam confecisse, ex Plutarcho (*De liberor. educat.* p. 3) colligendum.—Cf. Diog. II, 72, cum notis Menag.

(4) Dionys. Halicarn. *Epist. ad Cn. Pomp.* I; Athen. V, 55, 63,—Cf. Timon apud Athen. XI, 113.— Vid. et Æl. Aristid. *Orat. Platonic.* II, *pro quatuor viris*, f° 156, B.—Id. (*Orat. Platonic.* III, ad *Capiton.* f° 126 B.) cavillationem latere putat sub Platonis verbis quibus, in *Protagora*, Prodicus depingitur pellibus stramentisque involutus et lecto decumbens μαλὰ γελοίως additque : «*quid hæc ad ejus miranda dogmata*? » — Edit. Junt. M. D. XVII.

çuum est. Sed ut neminem excluderet, et pauperi haud secus ac diviti discipulo scientiæ fontes aperiret, cuique licere voluit, si quam institutionis partem anteferebat, interesse. Ita inde quisque, ut voluit, ut potuit, hoc illudve hauriebat. Et Socrates, quum in *Cratylo* dicit (1) « nihil, (ut testatur ipse Prodicus) si illam L drachmarum demonstrationem *jam* audiisset, (ἤδη ἠκηκόειν) impedimento fore quominus satis apte de nominum rectitudine dissereret », hoc tantum monet, id ex universa, quam nondum (νῦν δὲ οὐκ) audierat, præceptione pendere (2). Etenim quæ ad virtutem pertinebant tantummodo sequebatur (3), postquam, iis quæ de natura docebat Anaxagoras (4), sicut inanibus, contemptis, id unum, ut aiebat, inquirendum putavit, *quid in domo nobis malumve bonumve esset* (5).

Non magis immorandum puto tam sæpe pro testimonio habitis Aristotelis verbis (6), ut pote quæ vario sensu accipi possunt, et accepta sunt, atque de quibus, ut de ea quæ ἐπίδειξις πεντηκοντάδραχμος vocatur, haud satis liquet (7). Equidem, si quando magistrum, oscitantibus discipulis, dicentem audio : *Adeste, amici!* ecce vobis aliquid affero ex demonstratione L drachmis æstimata, hic nihil nisi jocose dictum video, quo solebat uti Prodicus docendo qua ratione *judices ut attendant faveantque rogare possimus*. Ceterum Quintilianus, omissa facetia, tantum præceptum retinuit, monendo *Prodicum ita velut dormitantes eos excitari putasse* (8).

(1) *Cratyl.* 257, EF.

(2) Attamen in *Charmide* fatetur sese persæpe Prodicum nomina distinguentem audisse ; sed hic bene notæ Ceii consuetudini potius quam ipsi de proprietate sermonis doctrinæ alludere videtur. Ceterum, ut ait Spengel (*Artium Scriptores* 46, not. 2), talia in Platone minime sunt premenda.

(3) *Menon.* 22, C.

(4) *Phædon.* p. 393, C. 394.

(5) Homer. *Odyss.* Δ, 392, apud Diog. Laert. II, 21 ; A. Gell. *Noct. Attic.* XIV, 6 ; Sext. Empiric. *Advers. Mathematic.* 141 et 439; Euseb. *Præparat. Evangelic.* XV, 62.

(6) *Rhetoric.* III, 14.

(7) V. Bælii *Lexic.* voc. *Prodicus.* — Cf. Spengel, *Artium script.* p. 46.

(8) Quintil. IV, 1, § 73.

Neque id pluris faciendum est quod Philostratus narrat (1) juvenum nobilissimos venatum esse Prodicum, adeo ut et pararios ejus rei aleret (2). Etenim, sicut dilucide demonstratum est, hæc tam turpia certe, si fecisset ille, a Platone, acerrimo Sophistarum agitatore, nigro sale aspergerentur. Id igitur ex pravo venationis genere tam vivide in *Sophista* descripto, temere mutuatus est, ut opinor, Philostratus, ut uni ex sapientiæ magistris quod objicitur cuilibet hanc artem impudenter mentienti, tribueret (3).

(1) Philostr. *Sophist. Vit.* I. Πρόδικος.

(2) Id tamen et alio sensu accipi potest, ut placuit Fed. Morellio qui ita transtulit : « Nobiles patricios a novis, et qui obscuro genere nati erant, ita investigavit, *ut hac venatione multa sit nactus hospitia.* Hunc secutus est Mich. Neander (in *Libro aureo*, p. 46), ultra tamen, ut solet, auctoris sententiam progressus : « Conatusque est in ea civitate (Athenis), primarios ex quaque nobili familia adolescentes sibi devincire : *quorum hospitium usui sibi et voluptati foret.* » Quod ex verbis Philostrati minime colligendum est, ubi eadem quæ nos, omnes vidêre interpretes.

(3) V. Welcker (Prodikos von Keos, etc., § II). Suspicatur id transiisse in librum Philostrati ex quodam scripto, ubi rursus depicta erat ea venatio, additis quibusdam propriis de quoque celeberrimo sophista exemplis. Nulla vero auctoritate ista opinio constat.

CAPUT TERTIUM.

Prodici opera in tres classes partita : ἀκροάσεις, ἐπιδείξεις, λόγοι. *Physica :* De Natura rerum ; De Meteoris ; De Natura hominis ; *Logica et Rhetorica :* De Recta verborum Ratione, *seu* de Interpretatione (?) De Rhetorica. — *Moralia :* De Vita et Morte ; De Divitiis ; De Agricultura. — Horæ *sive* Herculis laudes ; *hujus operis materia et origines ; — ex variis testimoniis restituitur.*

Prodici scripta ex duabus dicendi viis quibus uti solitum esse eum demonstravimus, in binas classes distribui possunt ; quarum in altera collocandæ philosophicæ disputationes seu ἀκροάσεις ; in altera autem *demonstrationes* in propatulo expositæ et omnibus ostentatæ, quas vocant ἐπιδείξεις. Quibus tamen tertio ordine addendæ orationes de publicis rebus et judiciariæ actiones.

Dicitur Prodicus et philosophus (1) et physicus (2) et cœlestium rerum indagator fuisse (3) : quibus nominibus unum et idem significatur, quod uno vocabulo græco optime possis dicere, σοφὸν fuisse, id est latine *sapientem aut doctum*. Illis enim temporibus unam tantum scientiam omnes mundi partes complectentem exstitisse constat, idque pro vero ab omnibus ipsoque Platone habitum, rerum universitatem cuique vel unius rei naturam cognoscere volenti esse evolvendam (4). Prodicus ergo, utpote qui veterum magistrorum vestigia sequebatur, ipse quoque *de omnium rerum natura*, περί φύσεως, librum conscripsit (5). Cujus

(1) Suid, loc. cit. — Aristoph. Schol. ad *Nub.* v. 361 ; — Eudox. *Ionia.* p. 365.

(2) *Ibid.*

(3) *Ibid.*

(4) Plat. *Phædr.* 354, E. — Cf. Hippocr. *De Natur. Homin.* I, cum Galeni commentario. Τελεία μὲν οὖν διδασκαλία τοῦ ἑκάστου τῶν ὄντων φύσεως γίγνεται. Basil. M.D.XLVIII.

(5) Cicer. *De Orat.* III, 32, — Galen. *De Elementis.* I, 9. T. I. p. 56. — V. Welck. dissert. laudat. p. 523.

nihil, quod excerptum fuisse affirmare possis, superest; sed Galeni ætate adhuc ferebatur illud quod sæpe laudat medicus, haud secus atque *De Hominis Natura* opus, quod prioris partem fuisse non absurdum est arbitrari. Ex diversis autem indiciis qualis fuerit *De Natura Rerum* liber licet intelligere, totumque ejus ordinem reponere (1). Galenus enim, postquam asseruit Prodicum suo libro, perinde ac fere omnes vetustiores philosophi, περὶ φύσεως inscripsisse (2), unde datum iis nomen physicorum, nos docet omnia de eadem re, sive uno, seu pluribus libris absolvebantur, scripta eadem ratione constitisse: primam substantiam, qualisnam sit, exposuisse, quam non generatam, sed æternam esse affirmant, omnibus generatis, interiturisque corporibus subjectam; tum quæ nascentium cuique et pereuntium ex ipsius propria ratione inesse credi possunt. Hoc enim initium omnibus est quærere utrum id unum sit atque simplex, cujus naturam reperire volunt, an quibusdam ipso prioribus partibus, quæ postea vocata sunt elementa, sit conflatum compositumque (3). Ceterum non difficile est conjicere quæ in his *de Rerum Natura* libris tractabantur. Nonnullæ enim tales Anaxagoræ disquisitiones paucissimis verbis optime comprehenduntur in *Phædone* (4); atque plura apud Xenophontem et multo apud Aristotelem plura invenias. Sed inprimis de istis consulendus Platonis liber cui inscribitur *Timæus*: namque *de summa cœli ratione Deûmque disserere, et rerum primordia pandere conatur*, ut Epicurus ipse qui, teste Galeno (5), περὶ φύσεως librum consimili vestustioribus ordine digestum composuerat; ut Lucretius quoque, clarus ille Epicuri cultor, qui ejus doctrinam pulcherrimis versibus ornavit. Quisquis ergo rerum

(1) Galen. *ibid.* et Comment. in libr. Hippocrat. *De Natura Hominis* I. — Tunc et postea profecto nonnulla exstitere Prodici opera, si quidem quali forma dicendi uteretur, multi, ut Antyllus, Maximus Tyrius, Themistius Euphrades et Marcellinus disseruere.

(2) *De Element.* I, 9.

(3) Id. ad libr. Hippocrat. De *Natura Hominis* Comment. I.

(4) P. 393.

(5) Loc. supr. laudat.

universitatem comprendere volebat, ita solebat disserere ut a mundi generatione exorsus, usque ad generis humani naturam deveniret. Quos intra fines cuique maximæ quæstioni locus erat : quid sit quod est, et unde sit; utrum creatus sit, et quomodo, et an semper fuerit qui non tantum a sophistis, ut vult Xenophon (1), sed a plerisque philosophis et primo ante omnes Pythagora dictus est mundus (2); multa de generatione et corruptione, de motu, de anima, de elementis et qua ratione, quibusque modis misceantur et afficiantur; de cœlo et astris, de terra, aquis, imbre, ventis et anni tempestatibus; quid sit homo et quibus constet, quæ ad animam pertineant, quæ ad corpus.

Talem profecto fuisse summam Prodici disquisitionum *de Natura* colligere possumus tum ex Galeni allatis locis, tum præsertim ex *Avium* parabasi, ut supra quidem jàm attigimus. Nempe, ut in irrisionem spectantium *meteorologum* trahat, philosophos alatos canorosque inducit poeta, qui profitentes eam sese doctrinam oblaturos esse miseris mortalibus, ut Prodico valedicere possint, quæ præcipue tractaret ille, procul dubio recensent. « A nobis, aiunt, omnia quæ per aerios tractus fiant, optime discetis, et unde oriantur aves (id comice additum); quomodo generati sint Dii fluviique, Erebusque Chaosque, ita ut recte noveritis. » (3) Hæc sane sunt de quibus plerumque disputabatur in quæstionibus *de Natura;* inter quæ quod Socrati et, ut opinor, Prodico crimini datum est (τάτε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια) facile agnoscas. At his verbis, præsertim si meminerimus eum quoque traduci in *Nubibus*, utpote, qui maximæ doctrinæ *meteorologus* est, conjectare licet reliquæ parabasi subesse aliquid ex ipsius operis Prodici exordio decerptum. Quod in dubio nobis minime erit ponendum animadvertentibus hic nonnulla Empedoclis placita, a quo multa Prodicus accepit, et, verbi gratia, quæ de *elementis-diis*, deque cœlesti hominis ori-

(1) *Memorabil.* I, I, 11.

(2) Κόσμος ex ordine.—V. Diog. Laert. VIII, 48, cum notis Menagii, ubi laudantur et Galenus et Scriptor Vitæ Pythagoræ anonymus apud Photium.

(3) Aristoph. *Av.* 684, sqq.

gine, hac in terra exulantis, cecinerat Siculus (1). In illo igitur *de Natura* libro, de Diis disputabatur, quos Prodicus non alios esse atque elementa et a veteribus cultos fuisse existimabat *quod maximam utilitatem hominibus conferrent ;* et cetera ejusdem theologiæ quam physicam appellavit Varro, et quam « facilius dicit intra parietes, in schola, quam extra, in foro, ferre posse aures » (2).

Jam nihil obstat quominus a Prodico nonnullas scientiæ universam rerum naturam complectentis partes singillatim tractatas credamus, et quosdam quasi e tanta arbore pullulanti exceptos esse, quos præcipue coleret, surculos, in primisque, (ut singularem de cœli cognitione laudem consecutus erat), conscriptum fuisse περί μετεώρων librum, cujus aliquam imaginem animo adumbrare possumus, ex Aristotelis opere, cui idem fere inscribitur titulus, atque in quo, ipso testante, huic disciplinæ physicæ portioni quam universi priores *Meteorologiam* appellitabant, studuit (3). « Cujus sunt quæcumque per primi elementi corporum naturam quidem, sed sibi tamen minus constantem, in eo potissimum loco eveniunt qui motibus astrorum confinis est ; verbi causa, quidquid agitur de lacteo circulo, cometis, ostentis conflagrantibus discurrentibusque, nec non de hisce quæ aeri et aquæ promiscuas esse affectiones affirmare possumus, et insuper de hisce quæ terræ species et partes atque earumdem partium affectus sunt, ex quibus ventorum ac terræ motuum causas disquirimus, et omnium, quæ dum ea moventur, cooriri solent. » (4)

Ex Prodici libris *de Natura*, deque elementis id expromtum videtur quod laudatur a Plutarcho « Oblectamentorum optimum esse ignem (5). » Ita enim vertendum puto, quum considero quod

(1) Stob. *Eclog. physic.* I. 12, p. 25, 50. — Clem. Alexandr. *Stromat,* Lib. v. — Euseb. *Præparat, evangelic.* xiii, 13.

(2) Apud div. Augustin. *Civit. Dei*, vi, 5.

(3) Aristot. *Meteorologic.* I, 1.

(4) Id., *ibid.*

(5) Plutarch. *De Sanitate præcept.* p. 92.— Cf. Stob. De *Sanitat.* serm. xcix, p. 542.

apud Lucretium ex Epicuro Prodicum, ut sæpe, imitante, legitur :

Tum genus humanum primum mollescere cœpit :
Ignis enim curavit ut alsia corpora frigus
Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre (1).

et infra (2) :

Inde cibum coquere ac flammæ mollire vapore
Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, etc.

De Natura autem *hominis* Prodicum scripsisse magis constat ; quippe cujus operis a Galeno haud semel mentio facta est, nullo tamen (quod valde dolemus) nominatim exscripto loco, sed uno alteroque allato verbo quo eum de rebus idem cum aliis sentientem, aliter quam ceteri, usum esse memorat (3).

Ut Epicurus (4) et ejus egregius interpres, Lucretius, in libris *De Natura rerum*, de linguæ usu, deque sermonis origine generatim disseruere, ita et Prodicum primum in opere περὶ φύσεως, deinde magis in peculiari περὶ φύσεως ανθρώπου libro, id procul dubio attigerat : quod modo summatim ibi tractatum audivisse Socratem arbitror, quum sese non posse de recta verborum ratione disserere diceret. Ex hoc autem quod subjicit arguere possumus id plane particulatimque demonstratum fuisse in quadam magis ad rem accommodata disputatione, cui nondum interfuerat, atque titulum habenti περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος aut fortasse etiam περὶ ἑρμηνείας (*de Interpretatione*, sive potius, *de interprete lingua* (5)) qui titulus *Cratylo* in codice quodam inscri-

(1) *De Natura rerum* V. 1013, *sqq.*

(2) Ib. 1106, *sqq.* Attamen si Prodici dictum eodem sensu quo Plutarchus accipiamus. « ignem optimum esse condimentum, » fortasse melius ex libro *De Natura Hominis* effluxisse credamus, et eleganter (κομψῶς, Plutarch.) translatum ad sanitatem aut stomachum, ut nos quoque dicimus : « *l'appétit est le meilleur cuisinier.* » Sed priorem sententiam potiorem duco.

(3) Galen. *De different. febr.* II, 6. t. III, 332. — De Hippocr. et Platon. decret. VIII, 6, 326. — De Physic. potestat. II, 9. p. 106.

(4) *Ad Herodot. Epist.* apud Diog. Laert. X, 75-76, p. 633.

(5) Horat. *Ad Pisones*, v. 110.

bitur (1), qui etiam ab Aristotele, quanquam non eodem sensu, usurpatus est. Quo in opere Prodicus de sermonis principiis (2) disceptabat, quærens utrum naturæ lege an hominum institutis constet, qua ratione veram verborum significationem, et explorata origine, et eorum quæ fere similia sonant discrimine facto, possimus distinguere. De quibus scientia erat cui nomen fecerant διαίρεσιν περί όνομάτων, et quæ eadem ac διαίρεσις όνομάτων, id est verborum interpretatio (3), minime habenda est. Exstant hujus operis, si non genuinis verbis fragmenta, at permulta de ejus ad hanc rem pertinentibus inventis indicia, quæ ex Platonis dialogis, præsertim ex *Protagora* multi repetiere (4), sed satis de istis, ut de quibus et postea nobis agendum.

Ex quodam *Phœdri* loco arguitur Prodicus et rhetoricæ curam impendisse; an artem scripserit, incertum quibusdam videtur (4); cur dubitetur, causa nos fugit. At scimus multos in hac arte habuisse discipulos, Euripidem, Theramenem, Isocratem, aliosque, atque in eum cavillatum esse Gorgiam, quod, nunquam verbis ex tempore factis, scripta tantummodo recitaret. Igitur credibile est dicendi artem non secus ac ceteras suæ doctrinæ partes literis mandasse, quæ, Callimachi tempore (5), quoniam ab illo rhetoribus adnumerabatur Prodicus, adhuc forsitan exstabat. Ceterum ex hac supersunt paucissima quibus quid sit rhetorica definiebat (6); præterea apud Platonem (7) quid de orationis mensura opinaretur, videre licet; et Quintiliano si fidem habeamus, id nobis quoque notum, quomodo inter dicendum judices *ut attenderent*,

(1) Plat. edit. Henric. Stephan. t. I, p. 378.

(2) Doct. Lorenz Lersch, *Die Sprach Philosophie des Alten*. Bonn. Koenig. 1838, in-8° erster Theil, 15.

(3) *Etymologia seu veriloquium* (Cicer. *topic.* VIII).

(4) Heindorf ad *Charmid.* p. 91. Jacobs ad *Lachet.* 238, Ast, I, 1, p. 72. — Vid. *Protagor.* 204. C. D.

(5) Welker, oper. citat. § VI. *Redekunst.*

(6) Apud Aristoph. Schol, ad *Avium* vers. 691.

(7) *Anonym.* inter *script. artium* quos edidit *Spengel.*

(8) *Phœdr.* 353, C.

ut faverent, rogare præciperet (1). Denique, eodem Quintiliano auctore (2), Prodicus inter primos qui communes locos tractarint, fuisse dicitur; ex quo declarari eum brevibus definitionibus præceptisque, sicut postea fecere Aphthonius, Libanius, Theon, ceterique dicendi magistri, narrationis, chriæ, refutationis et confirmationis exempla, quæ προγυμνάσματα vocant, subjecisse arbitror. Cui conjecturæ annuit Aristoteles in quodam *Sophisticorum Elenchorum* loco (3), ubi dicit rhetoricas alios, alios vero ad interrogandum comparatas orationes tradidisse discipulis ediscendas, in quas utrique putabant mutuos sermones sæpe numero incidere. Ea quidem omnia fidem faciunt opinioni V. Doctiss. Eggeri, inter oratoriæ artis inventores Prodicum recensentis (4). Non modo autem rhetoricam docuisse et scriptis et ore Prodicum constat, sed et ipsum egregium oratorem, eloquentiæ civilis forensis laude præstitisse. Etenim supra memoravimus ex Platone et Philostrato quam bene, licet dissona voce uteretur, Atheniensibus, acutissimis eloquentiæ judicibus, acceptus fuerit. Sed nihil prorsus ex ejus ad senatum, judicesve orationibus superest.

Quæ ad hominum mores, totamque vivendi rationem pertinent, et docuisse, secuti supra demonstravimus, et scriptis ita comprehendisse credimus ut Socrati placuerint, et in *Menonem* parce detorta manarint; atque etiam affirmat Marsilius Ficinus unam earum de quibus disputatur, virtutis definitionem, e Prodici scrip-

(1) Quintil. IV, 1, 73.

(2) Id. III, I, 12.

(3) C. XXXIV. Hic ergo non agi potest de illis locis quos Aristoteles, ut loquitur Cicero, quasi argumentorum notas aut sedes et domicilia tradidit, sed *de his rerum illustrium disputationibus*, quales scriptas fuisse et paratas à Protagora idem Cicero memoravit; in hac re igitur Hardion, qui tam multa diligenter de Prodico cogitavit et scripsit (*Académ. des Inscript. et Belles-Lettres, Mémoires*, in-12, T. XXXVI) multum erravit, quum prioris generis locorum totam rationem repertam instructamque fuisse a nostris veteribus sophistis opinatus sit, repugnante Ciceronis testimonio, *hanc disciplinam inveniendorum argumentorum inventam ab Aristotele* dicentis. (*Topic.* I.)

(4) *Histoire de la Critique chez les Grecs*, p. 71.

tis excerptam esse; sed quæ sit, et qua innitatur ipse auctoritate dicere omisit. Quidquid id est, haud absurdum credere Ceium, Democriti quidem, non autem Protagoræ, magistri sui, exemplo, περὶ ἀρετῆς, non περὶ ἀρετῶν librum confecisse; quum unam Virtutis personam in Herculis fabula finxerit, satis apparet eum, uti contendit Socrates adversus Protagoram (1), virtutem esse unam duxisse, et ceteras quæ vocantur virtutes, unius varias esse formas, et quasi ancillas comites que.

Ex quopiam de his rebus scripto delibatum hunc esse opinor eximium de amore flosculum, quem *Florilegio* inseruit Jo Stobæus (2) a Theophrasto, ut verisimile est, laudatum, « cupiditatem geminatam amorem esse, amorem vero geminatum insaniam fieri. » Quam satis commode explanavit sententiam Plutarchus (3) : « Rectum esse aliquibus visum est, a principio cupiditatem solum esse; si vero excedat, furorem. » Prodico magistro assentit, ut semper, Euripides : τὸ μαίνεσθαι δ'ἄρ'ἦν ἔρως βροτοῖς (4).

Forsan *acroamaticis* omnibus illis addenda est oratio de *Vita et Morte*, quam Socrates in *Axiocho* audiisse apud Calliam dicit, et cujus, sicut Echo, effata tantum recinit. Namque hæc, ut extra vulgi opinionem erant, si quis eliminasset foras, abhorruissent omnes; etenim Euripidi accidit, ut, quum e penu Prodicio hoc expromptum scenæ apposuerit : « nostram, quæ dicitur, vitam, mortem esse, » (5) Aristophanes, ille priscorum morum fidelis tutor et veteris populi interpres, aut ira aut ludibrio prosequeretur (6).

Hoc in libro, cujus, ex iis quæ moribundo Axiocho offeruntur, formam summatim restituere possumus, postquam exposuerat Prodicus nos non ad hanc vitam esse natos, utpote qui non hæc

(1) Id in *Protagora* disputatur.

(2) *Serm.* LXII, p. 402.

(3) « *Quod amor non sit judicium.* » (Apud Stob. *ibid.*)

(4) Stob. ibid.

(5) Euripid. *Phrix.* fragm. apud Platon. in *Gorgia*, 300 A. — Cf. Stob. *Serm*, CXIX; Cicer. *De Republic.* VI, 7, et alii, quos infra afferimus.

(6) Aristoph. *Ran.* 1082; 1477.

corpora sumus, animi vero divini, immortalesque, tantum hac in terra peregrinantes, et plus minusve in hoc corporis, quod sæpe duro pro carcere habetur, tabernaculo degentes, argumenta afferebat hujus ævi dolores et diuturnos et vix levibus quibusdam vanisque gaudiis admixtos; atque, omnibus ætatis, ut paucis versibus antea fecerat Sophocles (1), perlustratis vicibus, nullam calamitatibus vacare monstrabat; cujus in decursu, postquam cœlestis illius cognatique ætheris desiderio animum teneri, et quasi siti ardere, memoraverat, eo veniebat ut per mortem a malis, non a bonis abduci nos assereret, ut quæ miseriis exilioque finem affert. Ceterum mortem nec ad viventes neque ad defunctos pertinere; illis enim, quia in vita sint, mortem nihil adhuc esse, his eam non magis esse quam nondum natis, quia non sint atque omni sensu careant. Præterea hoc potissimum argui mortem non esse malum, quod hujus Dii mortalibus quos maxime adamavere, beneficium quam maxime properaverint. Hæc omnia, multis exemplis, poetarumque locis allatis probata, postea, sophistam imitati, et ethnici sapientes et Christianæ fidei doctores, paucis immutatis, ut infra videbimus, retulere; sed quod in his laudatur, idem in Prodico damnatur; adeo istud, quod accrevit ei nomen sophistæ etiam apud posteros quidquid habuit optimum, in deterius vertit!

Illa sunt de quibus cum selectis auditoribus et quasi sodalibus disserebat Prodicus, quæque interioris cujusdam doctrinæ haberi possunt; verum, ut supra dictum est, mox fere omnibus impertita communicataque disciplina est, et inde plurima percrebuere, ita omisso magis ac magis auditorum discrimine, ut in Lyceo, publico Atheniensium ludo (1), quidquid de externis bonis opinaretur, exponeret, atque vera de divitiis proferre conaretur, « quales sunt qui utuntur, tales ipsis sint necesse esse; itaque non cuivis bonum esse magnas opes habere; improbo enim multo satius esse si sit pauper quam si dives, quippe cui per divitias latior pateat ad peccandum via. » Quæ, quum subtilius quam satis erat, disputari viderentur, multorum appositione exemplorum

(1) *Œdip. Colon.* v. 1225 - 1238.

confirmabat, considerata multis modis improborum vita, sicut rem prius deducere conatur in eodem dialogo Critias, quem Prodici haud secus atque Socratis auditorem fuisse, et primum tantorum virorum doctrinis optime usum esse constat.

Constat etiam, ut supra memoravimus, hanc male acceptam esse disputationem, philosophumque his qui aderant ita mentiri visum esse ut nugatorem aut hariolum crediderint, deriseritque quidam facetus adolescens a quo jussus est quid vellet explicare. Quod quamvis invitus faceret, mox jubente gymnasiarcho, inde abiit; Socratesque, qui rem narrat, subjicit hæc sese recensere, ut appareat quomodo homines affecti sint erga philosophiam (1).

Sed quædam, quæ vulgo ederet, opera ita conscripserat Prodicus, ut, poetarum more, per fabulas puris elegantibusque verbis narratas, omnibus placendo, omnes doceret quæ sint vera hominis officia,

Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.

His in libris quos omnibus ostentare poterat (2), populi opinionibus, nequaquam tamen posthabita veritate, parcebat. Cujus generis fuit illud quod brevioribus tantum Themistii verbis nobis cognitum est de Agricultura (περὶ γεωργίας ?) opus; sed quale fuerit ex ejusdem propositi orationibus quas postea Maximus Tyrius, Libanius, ceterique degeneris, sed pulcri semper amantissimæ Græciæ Sophistæ rhetoresque scripsere.

Ex ea quam operis partis summam exstare apud Themistium putem (3), facile est intelligere non tritis viis processisse Prodicum annumerantem (quod, Themistio judice, egregiæ sapientiæ est) pulcris agriculturæ rebus omnia hominum sacrificia et mysteria et conventus et cærimonias, existimantemque inde Deorum benivolentiam in homines venisse et omnem pietatem manavisse. Quod adeo placuisse Socrati Xenophontive videtur ut ille in *OEconomico* ea meminerit, dicens : « Nulla alia arte pri-

(1) De his omnibus V. *Eryx.*, p. 744.

(2) Xenoph. *Memorabil.* II, c. I. 21. *sqq.*

(3) *Orat.* XXX.

mitias suppeditari Diis rectius convenientes, vel festos dies majori cum copia rerum exhiberi; » et infra : « Agricolas qui sapiunt... omnium fortunarum suarum causa Deos colere. » (1) Præterea toto hoc loco aliquid ex Prodici doctrinis et dicendi forma ductum esse facile apparet. Has neque aspernatus est Maximus Tyrius, neque omisit, sed corrupit in oratione qua agricolas bellatoribus utiliores esse disseruit (2). Prodici opus et uberius et rei accommodatius rhetorum posteriorum declamationibus fuisse loco declaratur quem nemo adhuc animadvertit apud eumdem Maximum, ubi nempe de mensuris agrorum loquitur (3).

Non modo hæc et talia haud desiisse tractari ex Prodici tempore in scholis, atque inter oratorias exercitationes fuisse compertum habeo; sed et idem de virorum illustrium Deorumque laudibus dicendum. Ita, ipsa Prodici ætate, Achillis Ulyssi collati et pro meliore habiti *encomium* scripserat Hippias, et Socrates, in Platonis *Convivio* eos monet qui aderant, talia a *bonis* Sophistis vulgo tractari, et de *optimo* Prodico, utpote qui hujuscemodi librum ediderat, mentionem injicit, addito se legisse sapientis cujusdam viri opus quo sal ad victûs utilitatem miris modis extollebatur, aliaque hujus generis multa reperiri laudibus celebrata.

Prodicus igitur ævi sui consuetudinem secutus, Herculem laudaverat in opere summa arte composito, cujus mirum illum locum nobis tradidit Xenophon, qui per totum orbem terrarum, *Herculis Judicium* sive *Alcides in Bivio* duplice nomine vulgatur. Xenophon, Platoni assentiens, peculiare separatumque de Hercule opus (σύγγραμμα περὶ τοῦ Ηρακλέους), fuisse indicat, quod contra *Horæ* (Ωραι), inscriptum esse auctor est Suidas (4). Unum ne et idem variis titulis opus, an Herculis encomium pars tantum, aut etiam quod vocant *Horarum* ἐπεισόδιον fuit? Et primum, quid hocce ibi sonat verbum Ωραι?

(1) *Œconomic*, v, 10, 20.

(2) *Orat.* XIV, p. 85. — Cf. Liban. *Agricult. Laudat.*, p. 78. Paris, M.D.C.XXVII. Cl. Morel.

(3) *Orat.* XXIII, p. 133.

(4) Voc. Πρόδικος, Ωραι. — Cf. Eudox. *Ionia*, pag. 365.

De his omnibus.

Grammatici certant et adhuc subjudice lis est.

Hemsterhuisius se non posse quid velit verbum conjicere fatetur. Geel (1) magnum quoddam de natura et anni tempestatibus exstitisse opus, cui inserebatur fabula, suspicatur, et Boettiger (2), excogitat aliquam fuisse trilogiam mimicam, cujus erat prima pars *Herculis Delectus;* secunda, *Vita per labores acta, Virtute duce;* tertia *In Deos Cooptatio*. Ranke (3) hanc inscriptionem (quod sane mirum est), spectare putat ad pulcritudinem quam Vitiositati attribuit Xenophon. Vir doct. denique Welckerus, accepta Vinandi Pighii sententia (4) Horas appellatum esse librum opinatur a veris adulti matura pulchritudine : cui discrimini temporis adolescentia hominis non inepte comparari solet. De Hercule autem adolescente librum fuisse arbitratur.

Haud parvi pretii fragmentum Hippocratis quod in Philonis libro *De Mundi Opificio* exstat (5), omnem de hac re dubitationem mihi tollere videtur ; quocirca totum huc afferendum puto : « In hominis, ait, natura septem sunt tempora (Ωραι), quas ætates vocant (Ηλικίας) ; infantia, pueritia, adolescentia et reliquæ. Infans est donec intra septennium dentes amittat ; puer, usque genituræ excretionem, ad geminatum septennium ; adolescens usque barbæ hirsutiem, ad annum ter septimum ; juvenis, usque dum crescit totum corpus, ad quater septimum ; vir usque undequinquagesimum, ad septies septimum ; senior usque sextum supra quinquagesimum, ad octies septimum ; quidquid vero deinceps sequitur, ad senium pertinet. » Inde non solum quid significet verbum Ωραι, quod eodem sensu quo Ηλικίαι usurpatur, intelligi potest, sed etiam qualis fuerit operis summa. Igitur, uti

(1) *Historia critic. Sophistar.*

(2) *Hercul. in Bivio.*

(3) *De Aristophan. vit.* p. 260.

(4) *Hercul. Prodic.* p. 10.

(5) Philon. Judæi, *De Mundi Opific.* p. 24. Lutet. Parisior. M.DC.XL. in-fo.

perspexerat G. A. Cubæus (1), qui tamen videtur Hippocratis locum ignorasse, varias vitæ humanæ ætates descripserat Prodicus, et cuique ætati exemplar adhibuerat Herculem. Quod quidem (2) Platonis verbis de Herculis laudatione a Prodico conscripta satis consentaneum est : sin autem ea majoris operis particula tantum aut ἐπεισόδιον foret, in eam haud apte quadrarent quæ a Platone et Xenophonte apponuntur vocabula, σύγγραμμα, ἔπαινον, συγγράφειν. Præterea quam hic servavit fabulam, eam ex scripto de Herculis laudibus excerptam esse satis clare monuit. Haud dubium ergo est quin Prodicus, in hac tabula, prima sive ab Hippocrate, sive antea a Solone (3) descripta lineamenta secutus, hanc vitæ imaginem effinxerit : etenim in Solonis carmine hæc leguntur :

Τῇ δὲ τετάρτῃ παῖς ἐνὶ ἑβδομάδεσσιν ἄριστος
ἰσχὺν, οἷτ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.

Ad quæ, tanquam ad primum fontem referri potest pars illa allegoriæ, de qua disserimus, cujusque nonnihil veteres poetas attigisse manifestum est. Scilicet Homerus jam sub Veneris et Minervæ personis monstraverat quò vertat vitium, quò ducat hominem virtus ; ut illi Paris, huic Ulysses paruere, sic unus libidini inserviens et sibi et suis exitium attulit, alter, continuos per labores, animi robore et prudentia fretus, gloriam felicitatemque consecutus est. Sophocles in fabula satyrica quæ inscribebatur Κρίσις (4), id est *Paridis Judicium*, Venerem Minervamque vario modo et cultu induxerat ; quarum illa eadem ac Voluptas quædam dea, unguentis delibuta, et speculum sibi admovens, circa lautas

(1) *Xenophontis Hercules Prodicius*, etc.

(2) Xenophon. *Memorabil.* II, I, 21. — Platon. *Conviv.* 317, B.

(3) In fragmento quod exstat apud eumdem Philon. ibid. et Clement. Alexandrinum in Stromat. VI. — Idem fere legitur apud Xenophont. : « ἐν ῇ οἱ νέοι δηλοῦσιν εἴτε τὴν δι' ἀρετῆς ὁδὸν τρέψονται..... »

(4) Athen. xv, 687, sect. 35.—Vid. et Sophocl. fragm. edent., Firm. Didot. MDCCCXLII, p. 363. De Venere et Minerva pro Voluptate et Virtute habitis, conf. *Cameum* quod in *Thesaur. Brandeburgic.* descripsit Beger., in-f°, MDCXCVI.

epulas gloriabatur (1); hæc autem, quæ Prudentia, Mens, Virtusque erat, sese præbebat oleo perunctam et bene exercitatam.

Idem etiam qui nobis ea tradidit, alibi Athenæus dicit inde de Hercule et Virtute fabulam expressam esse videri (2). Dicitur et Telesilla argiva (3) Virtutem Vitiositatemque (4) depinxisse. Sed certius est Prodicum quod de duabus viis explicuit, mutuatum esse ab Hesiodo (5), apud quem jam Malitia (Κακότης) Virtuti (Ἀρετῇ) opponitur. Quoniam a Platone, in brevissimo quidem loco (6), conferatur cum poeta philosophus, eo adduci possumus ut et Prodicum Hesiodi versus attulisse credamus. Ceterum Ceius ipse Simonides (7) in quodam cantico similia quoque finxerat quæ Pythagoricæ literæ imaginem in memoriam revocant (8). Prodicus quidem, qui tantam dedit operam poetis interpretandis, ex omnibus illis fontibus aliquid fortasse hausit. Probabilius vero est eum auditoribus, ut tunc temporis maxime Græcis ea placuerit, quam ἀλληγορίαν vocabant, indulsisse, sicut ceteri philosophi, qui veritatem tali atque a patria religione minime alieno amictu indutam producere solebant. Ceterum satis cognitum est quantum apud omnes Orientis populos, ubi nihil fere, nisi paucissimis viris certissima scientia erat comprehensum, frequentata fuerit parabola, mythus, quidquid commentorum est. Aliquid etiam Prodiciæ fabulæ simile in Salomonis *Proverbiorum* libro occurrit, ubi præter multa de duplici vivendi via talia legimus: « Dic Sapientiæ : Soror mea es; et Prudentiam voca amicam

(1) Ibid. Vid. alterius Ἔριδος nomine fabulæ fragmenta, quæ eadem fuisse atque Κρίσις videtur.

(2) XII, 2, p. 511.

(3) Schol. Ambros. Odyss. XIII, 289.

(4) Ex emendatione Welcheri, κακίαν pro καλοκαγαθίαν legentis. Oper. citat. § V.

(5) *Oper. et Dies*, v. 285, sqq.

(6) *Protagor*. 205, F.

(7) Clement. Alexandr. *Stromat*. IV, 494. — Boissonnad. *Lyric. græc.*, p. 73.

(8) Auson. *Idyll*. XV; Lactant. VI, 3, p. 9, t. II. Edit. Bipontin. M.DCCLXXXVI

tuam... Considero vecordem juvenem qui transit per plateas... et ecce *occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula et vaga*, » (1) et cetera quibus tam bene congruit Voluptatis effigies apud Prodicum, ut inde huc transiisse, si fieri potuisset, videretur. Præterea, in fine ejusdem libri (2), Sapientia fere iisdem ac Prodicia Virtus, verbis seipsam commendat, ad se omnes simili hortatu invitat, inimicamque Voluptatem sub meretricis imagine depingit. Rursum, quod ad duas vias attinet, in illa Christi oratione quam in monte habuit, reperimus (3). Idem apud Græcos fabularum studium et usus; siquidem quoties citra quod ratione mera perspicitur infirma et quasi puerili adhuc mente retinentur homines, veris ficta prætexere consueverunt. Ea vel sapientissimis viris docendi usurpata via est. Quo enim alio modo fieri posset, ut optime animadvertit Strabo, ut mulierum aut promiscui generis turba philosophica oratione excitaretur duceretur que ad religionem, pietatem ac fidem? Istis igitur et talibus auditoribus non secus ac pueris ad hoc superstitione quadam (δεισιδαιμονίας) opus est, quæ incuti sine fabularum portentis nequit. Cognoscendi quidem cupidus homo est, sed plerumque non is est qui recto itinere meram scientiam petat; ad quam oportet, ut loquitur idem, fabularum studium aditum ei paret, et quasi τοῦ μανθάνειν φίλτρον offerat. Ab initio igitur disciplinæ utile est hoc modo humanam mentem inescari, progressu ætatis ad ipsarum rerum cognitionem adducendam, ubi satis firmatæ intelligentiæ non jam istis narrationum blanditiis opus est (4). Eadem fere de iisdem posuit Olympiodorus : « Hac enim, ait, fabularum via ex manifesto ad occultum ire licet; (5) » et paulo post : « Ad animum nostrum referentur mythi; namque in pueritia imaginandi vim quæ formis figurisque adhæret, maxime

(1) Cap. vii de *Meretriciis illectamentis.* — Vid. quoque *de duplici via*, cap. ii et iv.

(2) Cap. viii et ix.

(3) Matth. vii, 13, 14. — Cf. Luc. xiii, 24.

(4) Strab. i, p. 18, D, 19 et passim. Paris. M.DC.XX. in-f°.

(5) Olympiod. *ad Gorgiam Comment.* apud V. Cousin, *Fragm.* philo-

vivendo sequimur. Inde mythorum usus, quibus animi infirmitas adjuvetur; siquidem nihil aliud est mythus quam oratio falsa qua veritas effingatur. »

Quod veterum philosophorum vel optimos minime fugit; et Strabo, qui tam diligenter Homerum ab Eratosthenis Zoilique de fabulis ipsis criminationibus exemit, utpote quem vere philosophum esse, « non minus poetica virtuté quam vitæ civilis experientia ceteros superantem », « et vere philosophicum opus (φιλοσόφημα) » conscripsisse judicat (1), cum plerisque animadvertit ubique bene acceptos esse poetas jucunditate sibi fidem vindicantes; sapientiam autem, nisi, superinducto aliquo fuco, adumbrata sit, repelli. Itaque et ab initio et postea philosophorum orationibus admissæ fabulæ : quod iis societatis et quasi cognationis vinculum erat cum priscis poetis, præsertimque cum Homero et Hesiodo, apud quos jam mythos allegoriasque plus nimio quibusdam scrutari et excutere libuit (2). Igitur quisque philosophus (ut, bene notante ipso Aristotele, quodam modo φιλόμυθος (3) esse solet) fictis vera involvens, *mythorum pastorem* egit (4), atque per florida fabularum pascua deduxit animos, ubi veritate vescerentur. Ab hac priorum consuetudine minime abfuit ipse Plato, qui et multas suis operibus inseruit fabulas, et quam de Prometheo scripserat Protagoras, nobis tradidit. Simili Xenophontis beneficio, qui nihil hujuscemodi alias fecit, egregiam de Hercule Prodici fabulam habemus. Quam profecto, ut legitur apud eum, nemo est qui cre-

soph. t. 1, p. 322-323, in-18, 1847. — Cf. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. 57, in-12, p. 297. « *De l'usage que Platon a fait des fables*, par l'abbé Garnier.

(1) Strab. I, p. 2, B; 25, B, D; 26, 271 et alib. sexcent. loc.

(2) Is postea magis ac magis invaluit quem dicam furorem, haud dissimilis quam apud nos generis, quum qualibet depicta cœlatave imagine aliud quam quod ostenditur significari velint (*La Symbolique*), haud minori adhibita interpretandi subtilitate, qua veteres poetas et philosophos Alexandrinus quisque investigator vexavit. (V. Olympiod. *Ad Gorgiam*, ibid., p. 365.

(3) *Metaphysic*, 1, 2,

(4) « Ποιμένα μύθων. » Timon de Democrito, apud Diog. Laert. IX, 40.

dat (quod tamen significat Philostratus) ad verbum fuisse exscriptam (1). Sed rursum quis est qui non putet hunc optimæ fidei discipulum qui, ne magistri verba adulteraret, quidquid dixerat feceratve, notis exceptum servabat, illam, præsertim quum, in ore Socratis esset, Prodici narrationem quam fidissime retulisse, cujus, ut constat, studiosus, perinde ac Socrates ipse, auditor fuerat. Præterea jam notandum est id excerptum fuisse ex opere scripto, quod omnibus solebat ostendere Prodicus, et multis modis novisse poterant Socrates atque Xenophon, utpote qui sæpe ejus recitationibus adfuere, aut etiam in manu librum habuere. Scilicet quod initio præmonet Socrates se se quantum meminerit, ipsa verba afferre (2), quodque sub finem addit, Prodicum multo magnificentius locutum esse, id ad dialogi verisimilitudinem compositum esse opinor (3). Denique hæc omnino ab ea dicendi forma differunt quam usurpare solitus est Xenophon, atque id ipse in suo *de Venatione* scripto plane declaravit, ubi suam quidem orationem forsan non satis esse verbis concinnatam, sententiisve continuatam confessus est (4).

Quid ergo velis hunc illam scribendi similitudinem consectatum esse, potius quam unam alteramve Prodici paginam, si non ipsis verbis, at sententiis cum ordine et solita dicendi forma servatis, attulisse? Quod si quis dubitare possit, hæc singula consideret, atque, ibi repertis omnibus quæ inprimis in Prodici oratione notata sunt, agnoscet hic insertum esse, paucis immutatis, egregium allegoriæ de Hercule locum. Quod quia postea necesse erit amplius explicare, ut nunc est, sit satis.

*S*uspicatus est quidam (5) Philonem judæum qui eamdem fabu-

(1) « ὑπογράφοντος. » Philostr. Vit. Sophist. I, Πρόδικος.

(2) ὧδέ πως λέγων, ὅσα ἐγὼ μέμνημαι.

(3) Hoc neque prætereundum, Socratem in media narratione commemorare Prodicum, utpote cujus quum sententias, tum ipsa quoque verba reddit; ὡς φησι Πρόδικος,, § 29.

(4) *De Venat.* XIII, 5, 6.

(5) D. Hœschel, in *Not.* ad Philon. libr. *De Meretricia Mercede*, ad calc.; edit. MDCXL, Parisiis.

Iam iterata imitatione secutus est (1), ex ipso Prodici libro sua petiisse. Cujus ei notitiam venisse libenter credam, sed eum veteris philosophi vestigia pressisse, minime. Quis enim illum medium, quam oratori legem se dedisse gloriabatur, dicendi modum agnoscere possit in hac immani amplificatione, ubi res quasi continua verborum proluvie obruuntur, aut per plurima quæ idem fere significant, circulatoria volubilitate, minutatim secantur, sive virtutis comitatum recenset, seu immensa ducentorum fere verborum serie omnes vitiorum formas comminiscitur, nominatque, quibus animus, si voluptatis amator fuerit, possit contaminari.

Hîc autem mihi non est in animo Prodici fabulam, qualis a Xenophonte traditur, exscribere. Quis enim memoria non tenet hanc speciosam animi picturam sub Herculis persona effictam? ubi juveni ac viribus pollenti et sui jam prorsus arbitrii, quum ei esset necesse eligere utram Voluptatis an Virtutis viam ingrederetur, occurrunt duo mulieres, ambæ quidem egregia forma, sed plane dissimili habitu, quæ ad id quod cuique placet, allicere tentant. Juvenem prior alloquitur Voluptas, ostentatisque omnibus vitæ blandimentis, per suam floribus stratam viam deducere conatur. Sed quiquid divinæ mentis in animo est, ut invigilat, « quænam es, inquit, mulier? » et Voluptas, nomen Felicitatis mentita, paulisper hominem dulcissima spe sibi vindicat. Subinde vero tranquilla voce Virtus adest, animumque affata, neque laboribus et molestiis vacua gaudia, neque summam dominationem promittit, sed hortatur patrum vestigia premat, et quodcunque vivendi assumat genus, pium et caritate amicos patriamque amplectentem sese semper præbeat, haud laboribus alienum, fortitudine præditum, et cujusque optimæ scientiæ avidissimum. Aspera quidem ut via est atque importuna, causam obtinuisse sibi fere gratulatur Voluptas; animum profecto ea quæ ostendit blandimenta virtutis molestiis sudoribusque prælaturum. At respondens, alteram opprimit Virtus uberiori oratione, qua describit istas quas

(1) Ibid. et *De sacrificiis Caïni et Abelis*, p. 133. — Cf. id. *Legum sacr. Allegor.* II, p. 72, et *De mundi opificio*, p. 38.

illa suas vocat delicias, majoris quidem semper emptas, semperque satietate omissas, et quo omnium contemptu afficiatur, et quam fœdam, turpi atque operosa senectute terminatam degant ætatem qui voluptates in toto vivendi tenore sectati sunt.

Contra quæ, qualis sit ipsa propriis coloribus se depingit, et quæ pura conferat suis cujusvis ætatis amicis gaudia recenset, nec non quanta eos maneant præmia, a Diis amari, ab amicis coli, apud posteros nobilitari, deos et ipsos fieri (1). Nonnullis Maximus Tyrius subjectis (2) : « Hercules, inquit, ut filium Jovis decuit, suopte probum ingenio, multa Voluptati salute dicta, Virtuti sese præbuit ducendum, » et usque dum moreretur (quod addit D. Basilius Magnus) eam ducem secutus est.

Illis verbis si ea conferas, quibus Xenophon concludit orationem, quæ sunt : « Hoc quodam modo Prodicus Herculis sub Virtute institutionem persequitur, » (2) ea quæ in ipsa Prodici scriptura subjiciebantur, suspicabere. Jam quid vetat quominus ex iis transiisse aliquid putemus in primum Dionis περὶ Βασιλείας librum, et plura in tertiam Themistii orationem? (3) Ambos enim ex eodemfonte hausisse perspicuum est, illum, nullo auctore designato, hunc a Prodico ea accepisse ita referentem, ut summatim iisdem, quæ narraverat Xenophon, præpositis, susceptam a Virtute, quam tantummodo memorant alii, Herculis disciplinam ex eodem scriptore continuaret. Ac Dion quidem Chrysostomus, ut res postulabat, fingit a Mercurio Thebis in montem excelsum deduci adolescentem Herculem, cui, quum Divæ *Basileidos* (id est Regiæ Potestatis) domicilium et subinde fere inaccessa Tyrannidis penetralia inviseret, eæ occurrunt duæ mulieres et vultu et apparatu et comitatu longe dissimiles ; atque interroganti utra ma-

(1) Hæc verba Θεόν γενέσθαι a divo Basilio afferuntur ut ex Prodico educta, (ὡς ὁ ἐκείνου λόγος significante) quæ nusquam alias.

(2) Orat. IV. initio.

(3) διώκει, quod fere idem significat ac διέξειμι, διεξέρχομαι. Hemsterhusius tamen διῴκει in codicibus esse monet, quod *administrabat, ordinabat* significans, fere ad eumdem ac διώκει sensum reduci potest.

(4) Edit. Dionys. Petau. Paris, 1618, in-4°.

gis placeat, Mercurio, ab illa quidem suum, ait, allici animum et detineri, quæ vere videatur digna quam omnes homines colant, imitenturque; hanc autem tantum sui horrorem injicere, utpote permultis sceleribus fœdatam ut eam e scopulo vellet detrudere et tali portento terras liberare. Quibus cognitis, Jupiter orbem terrarum regnandum committit filio, qui tam justa potestate usus est, ut generis humani tutor cognominatus fuerit (1).

Apud Themistium autem, ut erat, opinor, in Prodici libro, inceptam vivendi viam sequitur Hercules, cui, ut semper adest optima dux et magistra virtus, ex quodam excelso sublimique suo loco, omnia quæ animo et menti nequitiam ac perniciem afferunt, flagitia ostendit, contra autem ejus oculis subjicit omnes bonas artes quibus usque ad Deos evehantur mortales. His finibus universa continetur hominum vita. Sed inter tam multas vivendi ambages, quam difficile, quam arduum, quam periculosæ aleæ plenum, verum a falso dijudicare! Ne a recto aberres, præsertim in magna fortuna, quot tibi providenda sunt pericula! Vix ingresso jam obviam venit Simulatio, Vitiositatis comes, iisdem legibus subjecta; verum tamen non longius abest Amicitia, virtutis quoque et socia et soror. Regionum, quas incolunt hæ et illæ, eadem fere species; facilis error. Quo ne fallatur, Prudentiæ duci quæ nusquam a se separatur, discipulum commendat Virtus; atque juvenis per loca aspectu quidem similia, incolis autem dissimillima, deducitur. « Ostendebat subinde Dea clivorum aditus valde pares atque congruentes inter se; iisdem floribus pullulantes, iisdem plantis consitos, nisi quod illæ perpetuo vigent, hæ autem simul atque sunt natæ, marcuere. Tum ex utroque culmine aquæ frigidæ nitidæque properant rivis; quorum alteri dulcedo et benignitas totius fluminis est; alter autem, si inferiorem gustaveris, dulcior quidem videtur, fontem vero propius accedenti amara dat venenataque pocula, per quæ, si quis liquoris colore deceptus, os admoverit, distenduntur nervi, atque fiunt vertigines. »

Istis et talibus quæ proxime sequuntur, majorem cultum orna-

(1) Dion. Chrysos. Orat. I. περὶ βασιλείας.

tumque a Prodico fuisse adhibitum, ut de sua narratione Xenophon monet, arbitror, siquidem nonnulla in subobscuro Themistii compendio facile animadvertas poeticum colorem, qualis rhetoribus Græcis placuit, præferentia.

Inde jam viatori non esse cunctis mortalibus persimilis vitæ facies videtur; hinc Veritatis panduntur tranquillæ regiones, quas pauci permeant fideles severæ Deæ cultores, quorum in ore placida eminet lætitia. Et inter illos, summo ex vertice, adamantinoque solio, sedebat virgo, haud formosa quidem, sed decora tamen, et præ se ferens veram antiquamque pulcritudinem, qualis esse solet simulacris pristina arte fabrefactis. Pellucida et subtilis erat ei vestis adeo ut appareret multis partibus nudum corpus, sed corpore magis erat perspicuus animus. Ergo veneratus eam Hercules, multa prece rogat sibi semper propitia adsit. Juxta assidet Benivolentia, ministra Deæ, et Verus Amor, Amicitiæ famulus, sine alis, sine jaculis, utpote qui neque lædere cupit, neque avolare.

Illinc quam dispari habitu loca, quamque longe alio et ingenio, et vultu ii sunt quos visendos juveni Dea præbuit (1)! Pro clara luce nox et tenebræ obductæ; pro planis atque apertis campis, præcipitia et immensæ voragines, et ossium humanorum acervi, et mortiferorum serpentium circumfusa venena. Tunc rursus adest Simulatio, ad Amicitiæ similitudinem ore composito et ficto, facie fucata depictaque, et pro sereno risu, labris subdolo quodam rictu diductis. Si quem prospiciat, occurrit, blanda prece, amorisque quadam specie deducit. At quis comitatus! quam turpis! quantum horrorem incutit animo videntis! Insidiæ, Fallacia, Dolus, Perjurium petulans, audax, infidum, cujus Simulationi inprimis opera commendatur; et, claudo pede, Adulatio, malæ Deæ emissaria, præstigiatrix; et tristi, demissoque vultu, tardo incessu Pœnitentia...

Hic eorum, quæ tradit Themistius, finis; multa deesse facile

(1) Aliquid simile vide ex Eusebio depromptum apud Stob. *Eclog. Ethic.* II, p. 206.

videas ; quanquam totum Prodici librum ab illo exscriptum fuisse minime opinor. Hactenus tantum de Herculis institutione actum est. Postea, quomodo, ubi, tali duce, omnem vivendi cursum, omnesque labores et pericula didicit, firmataque ætate, vir fuit inter viros, quæ præceperat Virtus studuerit exsequi, philosophum narravisse verisimile est; inde trucidata monstra (1), expulsos aut interfectos tyrannos, et, quidquid scelerum erat, e terris ablatum. Denique, constituto Justitiæ regno, virum, Amicitia comitante, rogum Œteum conscendisse, ut, si quam vitii labem traxisset animus, purgaretur igni, quodque purum a cœlo acceperat semen, purum cœlo redderet. Ita excedere ex hac vita Herculem, id est animum fortem vereque virilem, sibi jubentem inter piacula, nullum edere gemitum (2), utpote cui virtus.

In astra et ipsos fecit ad superos iter (3).

(1) Hanc vitæ Herculis summam apud Maximum Tyrium (*Orat.* XXXIII) vide; qui se contra Prodicum credere declarat (*Orat.* XV) « Virum non expertem fuisse voluptatis ; sed illius tamen quæ a virtute datur : quod, ut vidimus, non a Prodico abnuitur. »

(2) Sophocl. *Trachin*, *V*. 1254.

(3) Senec. *Hercul. Œt.* act. V, 1942, sqq. — Cf. Duo Antholog. epigrammat. I, p. 21 : Τίνας ἂν λόγους εἴποι Ἥρα, ἀποθεοθέντος Ἡρακλέους.

Σῆς ἀρετῆς ἱδρῶτι κ.τ.λ.

cum hoc Brodæi commentario : « Excerpta sunt hæc ex calce ultimi Pythiorum hymni, quæ ad Prodici Herculem fortasse pertinent. — Et, ibid. infra : Εἰς τὸ αὐτό.

Σοί χάριν ἐξετέλεσσε πόνος κ.τ.λ.

(Edit. Froben. Basil. M.D.XLIX in-f°).

Vid. ad hujus libri calcem appendic. de Herculis Prodicii imitationibus.

CAPUT QUARTUM.

De Prodici dicendi genere.

Philostratus, in jejuniore illa de Prodico dissertatione, sese interrogans : « Cur, ait, qua lingua et dicendi ratione usus sit Prodicus significare enitar, quum eas Xenophon satis expresserit (1). Alio loco, allata æmulatione causa cur Plato sophistis adversatus fuerit, et, distinctis, more Prodici, vocabulis, ita ut multum ab æmulatione (φιλοτιμία) differre invidiam (φθόνος, βασκανία) arguat, illo sane laudabili affectu motum fuisse affirmat philosophum, ut et Grylli filium ob Herculem Prodicium (2). At Xenophon ipse nos docet « a Prodico sententias verbis etiam magnificentioribus quam a se esse ornatas (3) » Id equidem pro confessione habendum credo, ut indicare videtur μέντοι, et comparativum vocabulum μεγαλειοτέροις quo facile demonstratur eum hic esse conatum magnificentius solito dicere, nedum reprehensionem etiam ironia obductam inesse putem. Tali enim dicendi ratione minime usum fuisse Xenophontem ex ejus scriptis satis apparet, sed plerumque tenui (ἰσχνῷ), ut vult Marcellinus (4), maxima quidem, ut notat Dionysius Halicarnasseus, adhibita jucunditate, non tamen ea, quam oportuerit, pulcritudine (5). Pulcritudine autem comprehendi ait magnificum illud dicendi genus, grave et severum, dignitate et suadela plenum (6), cum accurata numerorum et modorum ratione (7),

(1) *Sophist. Vit.* I.

(2) Καὶ ὁ τοῦ Γρύλλου φιλοτιμεῖται πρὸς τὸν τοῦ Προδίκου Ἡρακλέα. (*Epist. ad Jul. August.*)

(3) *Memorab.* II, I, 34.

(4) *Vit. Thucydid.* 60. edit. Didot.

(5) *De Composit. verbor.* X. p. 71.

(6) *Ibid.* XI. ὑπὸ δὲ τὸ καλὸν τάττω τὴν μεγαλοπρέπειαν κ.τ.λ.

(7) *Ibid.* sect. XVIII, p. 135.

Atque accepimus a Maximo Tyrio Prodici orationibus et scriptis eam præcipue inesse dicendi pulcritudinem (καλλιλογίαν), quæ, auctore Dionysio, præsertim in gravibus et amplis numeris constat, et in funebri Thucydidis oratione maxime eminet (1).

Inde satis patet quod laudatur in Prodico grande et pulcrum dicendi genus, id non fuisse ventosam amplitudinem, neque colorem fuco mentientem, sed virilem fuisse et sanctum et aptis translationibus et justa verborum compositione magnificum ornatum. Scilicet id neque omittendum quod unum sibi apud Platonem vindicat Prodicus, « justum orationis invenisse modum (2). »

Jam Themistius id in Prodici laude ponit, eum proprie et emendate esse locutum (3); atque Thucydidem auctor est Antyllus (4), ejusdem curiosam orationem plerumque æmulari. Hanc autem egregiam et vere atticam dicendi formam paraverat Ceius, in primis quid recte significarent verba summa diligentia scrutatus : unde etiam manifestum est quam longe a sophistis distaret quibus, ut notat Aristoteles (5), pulcrum erat translationibus ambiguis abuti, ut fucum facerent. Prodicus vero res signis certis comprehendere volebat, per quæ dilucidius, apertius, acrius, et, uno verbo, significantius exprimi possent. Sed incommode accidit ut fere tantum modo ex veterum opinionibus de his judicare possimus. Marcellinus quidem nos monet se notasse (6), (quod certe argumento est eum in manibus nonnulla habuisse Prodici scripta) deprehensas in ipsa Thucydidis librorum scriptura Prodicias locutiones : quas quod posteris tempus inviderit animadversiones in primis dolendum; sed tamen, summa adhibita opera, aliquot hujus imitationis vestigia in sermone Thucydideo deprehendi

(1) *Ibid.* — Cf. Demetr. Phaler. *De Elocut.* p. 31. (*Rhetor. Select.* Oxon. M.DC. LXXVI, in-8°).

(2) *Phædr.* 353, D.

(3) Themist. *Orat.* IV. p. 113.

(4) Apud Marcellin. in *Vit. Thucydid.* 56.

(5) *Rhetoric.* III, 2.

(6) Schol. ad Thucyd. Lib. IV. 135. p. 89, edent. Didot.

potuere (1), ita ut, si non usque quo paluerit intelligere detur, at eam ad hunc certum præfinitumque vocabulorum usum, cui præcipuam impendebat curam Prodicus, aliqua parte pertinuisse videatur. Illis igitur collectis indiciis, quale sibi Ceius composuerit dicendi genus, in plus minusve mutilatis aut adulteratis, quæ ad nos tantummodo pervenere, reliquiis inquiramus, ut ex confusis attenuatisque sonoribus, qualis in remotiore loco efficiatur concentus, intelligere nitimur.

In Virtutis oratione apud Xenophontem legimus : « Τίς δ' ἄν σοι λεγούσῃ τι πιστεύσειε; τίς δ' ἂν δεομένῃ τινὸς ἐπαρκέσειεν; ἢ τίς ἂν εὖ φρονῶν τοῦ σοῦ θιάσου τολμήσειεν εἶναι; οἳ νέοι μὲν ὄντες τοῖς σώμασιν ἀδύνατοί εἰσι, πρεσβύτεροι δὲ γενόμενοι ταῖς ψυχαῖς ἀνόητοι, ἀπόνως μὲν λιπαροὶ διὰ νεότητος φερόμενοι, ἐπιπόνως δὲ αὐχμηροὶ διὰ γήρως περῶντες, τοῖς μὲν πεπραγμένοις αἰσχυνόμενοι, τοῖς δὲ πραττομένοις βαρυνόμενοι, τὰ μὲν ἡδέα ἐν τῇ νεότητι διαδράμοντες, τὰ δὲ χαλεπὰ εἰς τὸ γῆρας ἀποθέμενοι. Ἐγὼ δὲ σύνειμι μὲν θεοῖς, σύνειμι δὲ ἀνθρώποις τοῖς ἀγαθοῖς· ἔργον δὲ καλὸν οὔτε θεῖον οὔτε ἀνθρώπινον χωρὶς ἐμοῦ γίγνεται. Τιμῶμαι δὲ μάλιστα πάντων καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρὰ ἀνθρώποις, οἷς προσήκει, ἀγαπητὴ μὲν συνεργὸς τεχνίταις, πιστὴ δὲ φύλαξ οἴκων δεσπόταις, εὐμενὴς δὲ παραστάτις οἰκέταις, ἀγαθὴ δὲ συλλήπτρια τῶν εἰρήνῃ πόνων, βεβαία δὲ τῶν ἐν πολέμῳ σύμμαχος ἔργων, ἀρίστη δὲ φιλίας κοινωνός. » (2)

Profecto nemo est qui in istis talibusve non agnoscat curiosam illam et quasi fabrefactam elocutionem qua tantopere delectabantur teretes religiosæque Atheniensium aures, et quam ipse invidebat Gorgias, summus ille dicendi artifex, aptam et quasi ro-

(1) Spengel, *Art. scrip.*, p. 50, *sqq.* Locis a doctiss. investigatore allatis plurima addere licet quæ vel leviter Thucydidis libros evolventibus occurrunt; ut libr. I, 42 : « Καὶ μὴ νομίσῃ δίκαια μὲν τάδε λέγεσθαι, ξύμφορα δὲ, εἰ πολεμήσει ἄλλα εἶναι· τό τε γὰρ σύμφερον, ἐν ᾧ ἄν τις ἐλάχιστα ἁμαρτάνοι, μάλιστα ἕπεται et 77 : Ἀδικούμενοί τε, ὡς ἔοικεν, οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον ὀργίζονται ἢ βιαζόμενοι, τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἴσου δοκεῖ πλεονεκτεῖσθαι· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ κρείττονος καταναγκάζεσθαι » et III, 42 : « Νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώματα εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε καὶ ὀργήν· ὧν τὸ μὲν, μετ' ἀνοίας φιλεῖ γίγνεσθαι, τὸ δὲ, μετὰ ἀπαιδευσίας καὶ βραχύτητος γνώμης. »

Nonne hæc tam accurate distincta aut definita vocabula, qualia fere apud neminem alium invenias, in memoriam revocant illam dicendi consuetudinem quam quadam cavillatione expressit Plato in *Protagora*, et alibi ?

(2) *Memorabil.* II, I, 31-32.

tundam verborum compositionem. Hi sane sunt numeri generosi, ut loquitur Dionysius (1), graves et ampli, e quibus efficitur structura majestatis plena, stabilis, et magnifica, quam postea vel maximi sunt æmulati oratores, atque cujus tanto studio ipsi descripsere leges Tullius et Quintilianus; ea est sine dubio quam pæonicam constructionem vocat Demetrius (2) non pæonibus quidem exquisite constantem, sed pæonicum quiddam tenentem, grandem simul et accommodatam orationi, utpote in qua concinne temperatæ longis breves syllabæ prodeunt.

Hic et facile mirere justa arte disposita quæ jam ab hujus ætatis oratoribus nimia aliquando curiositate adscita fuere elocutionis ornamenta, quibusque paulopost *similiter desinentibus* (ὁμοιοτελεύτοις) *similiterque cadentibus* (ὁμοιοπτώτοις) nomina fecere rhetores. His vero valdius placet incredibilis illa verborum varietas. et peracutus diligensque delectus, quem præcipuas inter orationis dotes adscripsere multi (3), atque ipsius eloquentiæ originem esse voluere (4). Inde eminet mira, et quam sibi merito gloriabatur, in verbis distinguendis Prodici solertia: cujus hæc tantum inter plurima sit satis notare exempla : ἀγαπητὴ συνεργὸς τεχνίταις, εὐμενὴς παράστατις οἰκέταις, ἐν εἰρήνῃ συλλήπτρια πόνων, ἐν πολέμῳ σύμμαχος ἔργων, φιλίας κοινωνός. Sed ante omnia, afferenda erant quæ varias notionis ἡδονῆς partes varie significant vocabula : χαρά, τέρψις, εὐφροσύνη; namque, quum id Prodici exemplum adducat Aristoteles (5), satis ostendit de Hercule libri partem fere ipsis verbis a Xenophonte fuisse exscriptam.

Hujusce generis dicendi copiam et decora in oratione *de Vita et Morte* perspicere licet, cujus ab ore Socratis, in *Axiocho*, nonnullas, ut loquitur, et quales reddit Echo, imagines (ἀπηχήματα) ac-

(1) Loc. cit. XVIII, p. 135.

(2) p. 31.

(3) Theophrast. apud Dionys. Halicarn. *Isocr. Vit.* III.

(4) J. Cæsar apud Cicer. *Brut.* LXXII.

(5) *Topic.* II, 6, p. 114., edit. Buhle. — Cf. Hermias in Platon. *Phædr.*, Ast., p. 191. — Aliquid simile exstat in *Protag.*, p. 204, D, 212, G, ubi minime dubitandum quin Prodici modum referre voluerit Plato.

cipimus (1) : sed illa minus certa sunt et sæpius confusa lineamenta. Scilicet Æschines, quem ferunt hujus dialogi auctorem, ut eodem, quo apis illa attica, non satis pollebat artificio, haud is fuit qui tantam dicendi magnificentiam subtilitatemque redderet (2). Attamen nonnullis locis graves jucundosque Ceii philosophi spiritus sentimus immisceri, et *disjecti membra* oratoris agnoscere possumus : ut ea sunt quæ de obnoxiis auræ populari viris pronuntiat :

« Ἀλλ' ἡ πολυτίμητος πολιτεία διὰ πόσων ἐλαύνεται δεινῶν ; τὴν μὲν χαρὰν ἔχουσα, φλεγμονῆς δίκην, παλλομένην καὶ σφυγματώδη· τὴν δὲ ἀπότευξιν, ἀλγεινὴν καὶ θανάτων μυρίων χείρω. Τίς γὰρ ἂν εὐδαιμονήσειε πρὸς ὄχλον ζῶν, εἰ ποππυσθείη καὶ κροτηθείη, δήμου παίγνιον ἐμβαλλόμενον, συριττόμενον, ζημιούμενον, θνῆσκον, ἐλεούμενον ; ἐπείτοιγε, ποῦ τέθνηκε Μιλτιάδης ; ποῦ δὲ Θεμιστοκλῆς ; ποῦ δ' Ἐφιάλτης ; ποῦ δ' οἱ πρώην βασιλεῖς καὶ στρατηγοί ; (3)

Igitur, veterum et nonnullorum ipsius æqualium judicio, Prodicum non modo eleganter enucleateque, sed et ornate et graviter et copiose, atque uno verbo, attice, ut postea Lysias et Isocrates, dixisse colligere possumus. Quod ne plus æquo affirmari videatur, liceat hæc tantum repetere quæ jam haud semel ex Platone libentissime memoravimus, Prodicum apud Athenienses concionantem, maximo omnium plausu comprobatum esse (4), atque, quod ab eodem Socratico accepimus, eum atticam eloquentiæ formam adeo mente excogitatam tenuisse, ut Lesbios scriptores tamquam barbaros exagitaret (5).

(1) P. 729, F.

(2) Hermog. *de Form. Orat.* Cap. V.

(3) *Axioch.* 730, EF. Christophor Meiners jam pridem notavit in hoc dialogo nonnulla inter se dissimillima contineri, ita ut cum pessimis optima misceantur. (*Judic. de quibusdam Socraticorum reliquiis, in Æschin. Socratic.* Fischeri. Lips, 1786, in-8, XL-XLI.

(4) *Hipp. Maj.* 96, B. — Cf. Philostr. *loc. cit.*

(5) *Protagor.* 206, B.

CAPUT QUINTUM.

De Prodici doctrinis quæ ad Deos, animum et mores spectant. — Ejus logica, rhetoricaque placita. — De quibusdam quæ falso ei adscriptæ sunt, opinionibus.

Fateri tamen non dubito non Prodicum audaci aut fecunda, quali Plato vel Aristoteles mente, præditum fuisse; neque in illorum esse ingeniorum numero, quæ, novis opinionibus allatis, et quasi copiosis veritatis fontibus apertis, æterna suî in hominum memoria vestigia reliquere. Equidem libenter crediderim eum satis habuisse, si quidquid optimum ceteri antea prodidissent, selectum comprehenderet, atque eleganter et dilucide exponeret, omnibus quæ ad usum, potius quam ad puram contemplationem pertinerent, undique collatis. Igitur, placitis ejus et doctrinis prope nihil intentati præ se ferentibus, discipulos quidem multos, ut qui optima optime docebat, sed non quam vocant *scholam* habuit. Inde facile apparet cur, excepto de Hercule libro, raro exscripta sint Prodici opera, et quæ ei placuere, haud sæpe in posteriorum scriptis, aperte saltem et nominatim, afferantur. Adeo tamen etiam nunc multa hujus copiosæ et splendidæ doctrinarum mensæ (1), ut loquitur Socrates ille quidem Platonicus, supersunt frusta, sive mavis, frustula, ut, quemadmodum potuimus pleraque Prodici scripta recensere, sic plurima quæ de maximis rebus ipse per se aut cum aliis senserit, et colligere et perpendere queamus.

In quibus id primum sane locum obtinet quod docuit de Diis : de quo nihil ante Ciceronem reperimus, et, quod ille nobis tradidit, paucioribus verbis comprehenditur : « Quid Prodicus Ceius? qui ea quæ prodessent hominum vitæ, Deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? » (2) Item postea Sextus

(1) *Tim.* 526, B.

(2) *De Nat. Deor.* I, 42.

Empiricus, nonnullis tamen explicatis : « Prodicus autem Ceius solem dixit et lunam et fluvios et montes, et, in summa, quæcumque prosint vitæ nostræ a veteribus Deos existimatos esse, propter utilitatem quæ ex iis accipitur. Quomodo Ægyptii Nilum ; et ideo panem existimatum esse Cererem : vinum vero Bacchum ; aquam Neptunum ; ignem Vulcanum ; atque adeo unum quodque eorum quæ sunt in usu. » (1) Eadem Minutius Felix (2) et Athenagoras (3), hic tamen fusius, sed Prodici non apposito nomine, testantur. D. Epiphanius tandem nescio e quo fonte aliquid dilucidius expressum hauserit, quod huc ipsis verbis afferre operæ pretium est : Πρόδικός τις τέσσαρα στοιχεῖα θεοὺς καλεῖ, εἶτα ἥλιον καὶ σελήνην· ἐκ γάρ τούτων πᾶσι τὸ ζωτικὸν ἔλεγεν ὑπάρχειν (4). » Namque etsi « Πρόδικός τις » dixerit, quod hominis ignorationem aut opinionis contemptionem ostendit (5), postrema esse ipsa Prodici verba credibile est. Sed verbo καλεῖ erravit, quo Prodico eam adscripsit de Diis quam vulgi fuisse opinionem contendit philosophus noster, et causam cur elementis obvenerit nomen et honor divinis. Igitur ex istis omnibus testimoniis videtur Prodicus explicare voluisse unde quos vocant *naturales*, facti sint Dii, quemadmodum postea *Deorum animalium* rationem dare tentavit Evhemerus (6).

Quum apud omnes antiquissimos homines elementa, et quotquot sunt naturæ vires, deinde quidquid humanæ vitæ prodest, pro Diis habita animadverteret Prodicus, et quos Phœnices atque Ægyptii, reliquæ humanitatis ductores, εὐεργέτας nominavere (7),

(1) *Contra Mathematic.* VIII.

(2) In *Octavio.* — Biblioth. Patrr. III, p. 247. — Cf. Lactant. II, 5.

(3) *Legat. pro Christian.* - Vid. *Dissertat.* Nicolai Le Nourry, in *Apparatu ad Bibliothec. maxim. Veterum Patrum.* T. II, p. 171-173.

(4) *Advers. Hæretic.* III, T. II, p. 1088. Paris, 1622, M. Sonnius, in-f°.

(5) Quanquam Div. Augustinus de nobili illo Tullio quem satis novit, *cujus dam Ciceronis* dixit. *Confess.* III, IV, 1.

(6) De hoc Deorum discrimine, Vid. Labeon. apud Serv. ad III *Æneid-* v. 168. — Cf. Diod. Sicul. apud Euseb. *Præparat. Evangelic.* II, 2 ; Cicer. *De Nat. Deor.* I, Philon. Bybl. ex Sanchoniat. apud eumdem Euseb. ibid. I.

(7) Phil. Bybl. *ibid.* et totum Eusebii primum librum vide.

hanc religionem dignam fuisse opinatus est quam coleret primo quasi ortu hominum genus; sed, ut erat veritatis amantior Protagora dicente de iisdem Diis « se nescire sint an non sint, » discipulos docere statuit hæc elementa, et, quodcumqae, ut loquitur D. Epiphanius, in natura *vitale est,* nullam vim aut virtutem in se per se habere, sed eam ducere a primo quodam et communi omnium rerum principio et fonte, qui vere Deus et unus Deus debeat existimari (1). Hujus quidem Dei virtutem et potentiam perpetuis beneficiis per diversa naturæ elementa partesque hominibus manifestam fieri. Eorum autem mentem, quum esset imbecillior, densioribusque tenebris circumdata et oppressa, quam ut eam ipsam intelligeret, citra primam omnium causam stetisse, causasque secundas et sibi proximas, solem, lunam, ignemve, aera, tellurem, aquas, quosdam homines, et, ut quibusdam placuit, pecudes, pro diis coluisse, cultu atque reverentia auxisse (2). Profecto, qui talia docebat Athenis, coram Minerva et Jove, ceterisque Diis, is, ut par erat, « *nullam,* ut vult Cicero, *religionem relinquere,* » visus est, ἄθεος que esse perinde ac Anaxagoras, Socrates, Euripidesque argui potuit.

Quod omnium, qui dicti sunt physici, philosophorum crimen fuit : satis, v. g. innotuere Empedoclis versus :

Τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς,
Νῆστις θ', ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον. (3)

His omnino congruit Prodici sententia : quam male acceptam fuisse Aristophani (4), diligentissimo priscarum Athenarum pa-

(1) Sic et de primo rerum principio et auctore colligit Timæus Locrensis in libr. περὶ φύσεως apud Euseb. laudato. (*Præparat Evangelic.* XIII, 23.)

(2) Vid. et quæ Euseb. (ib. II, 2) ex Diodor. sicul. excerpsit de antiquis Ægyptiorum et Græcorum religionibus.— Cf. Platon. *Cratyl.* 263, B. — Maneth. *Natural. Epitom,* et Hecatæus, 1° *De Philosoph. Ægypt.* libro, apud Diogen. Laert. Procem. 10-11.

(3) Sext Empiric. *contr. Mathematic.*—V. Plutarch. *Placit. Philosoph.* I, 3; Diog. Laert. cum notis Menag. VIII, 76; Stob. *Eclog. physic.* I. XII.

(4) Vid. *Aves,* loct. cit.

trono, haud sane absurdum est; sed valde dolendum quod Plato poetæ assentiat, lacessita, quam fingit, eorum impietate, « qui non credunt esse Deos quales credere leges jubent. » (1) Num ipse et Deos tales esse credidit, quum in *Philebo* (2) confitentem Socratem inducat, sese priscis assentire qui dixerunt: omnia a mente exornari mundum consideranti, et solem et lunam, ceteraque sidera omnem denique cœli circuitum (3). Opinionis tamen vulgaris id retinuit ipse Aristoteles, quod vere divinitus traditum esse ait, πρώτας οὐσίας esse deos (4).

Ceterum mihi quidem haud alia ratione constare posse videtur illa tam celebris de Diis Prodici sententia : « Quos colitis et veneramini, optimi auditores, hi non magis quam vos ipsi, Dii sunt habendi, sed opera Dei, sed quasi ejus beneficiorum ministri. Memoris beneficiorum animi error est, error tamen et peccatum, si pauper cui opitulamini, vesti qua tegitur, cibo quo alitur, non vobis benefacti auctoribus, gratias agat. » Igitur si cui videri possit ἄθεος fuisse Prodicus, certe a nobis Christianis ea nominis infamia non est afficiendus (5).

Equidem non majori argumento confirmare putem Deos nequaquam a Prodico negatos fuisse, quod eos haud semel in libris *de Herculo* et *de Agricultura* memoravit, quippe quos libros dixi extra scholam procul dubio fuisse editos, atque ex iis esse in quibus contra vulgi opiniones non repugnabat philosophus. Attamen pretium operæ est, notare eum nusquam in iisdem scriptis vulgarium Deorum nomina afferre, sed numina tantum laudare

(1) *Leg.* x. p. 666, D; ubi loci Aristophanem de Socrate et Prodico imitari videtur.

(2) P. 79, E.

(3) Vid. et id. infr. de elementorum apud nos utilitate.

(4) *Metaphysic.* edit. Duval. xiv, 1. — Cf. Xenocr. apud Stob., *Eclog. physic*, I, 3, p. 5-10; et Stoic. ibid. p. 40.

(5) Atheum fuisse Prodicum negarunt multi recentiores, inter quos vid. Reimmann. *Histor. Atheism.* c. xvii, § 5, p. 132; — Brucker, *Hist. critic. philosoph.* part. ii, lib. 11. c. xi. not.; — De Gerando *Systèmes de philosophie*, 14, p. 96. et alii.

quibuscum versatur Virtus, et quibus placet et Pietas et Labor et quidquid hominibus optime prodest. Quin ex libro *de Agricultura* quod superest, id ipsum memoria beneficiorum fere totam constare religionem docet (1).

Ad ea quæ de Diis sensit Prodicus facile referuntur ejus de animo, de vita ac morte opiniones : animo inesse divinum aliquid, quo juvante, tanta moliri potest ac perficere, omnem rerum naturam intueri gaudet, et cogitatione complecti, atque cœlum ipsum Deosque contemplari. Hunc autem divinum spiritum, quod in corporis carcere includatur, dolere ; inde semper ad cœlestem patriam evolandi cupiditate ardere ; scilicet cum corpore conjunctum, ejus omnia mala perpeti ; quibus morte liberatum, ad veram immortalitatem tandem pervenire. Post mortem enim nullum superesse aut doloris aut lætitiæ sensum, neque quidquam quod corporis sit et terræ. Itaque haud absurde dici posse neque ad vivos, neque ad vita defunctos mortem pertinere (2).

Hasce de morte opiniones (quæ sunt inter pessima optimis, ut dixit Christ. Meinersius, in hoc dialogo immixta) in deterius verterunt Epicurei, quum eas temere ad animi mortalitatem pertinere crediderint (3). Sed multis aliis aliter visum est ; atque hæc ipsa tam bene excogitata esse nonnulli existimavere, ut ea pro suis habuerint. Quos si modo enumerare velimus, immensum fiat atque tota ex Philosophiæ historia depromendum. Sed quem fugit inde plurima primo *Tusculanarum Quæstionum* libro adscita esse, quæ, ut videtur, minime fastidiebat Tullius ? Et, quæ sint, describente Prodico, vitæ incommoda, infantisque hominis imbecillitas, haud secus meminisse Plinium majorem, qui cetera depravavit ? (4)

Eadem et optimo Plutarcho adeo placuere, ut Apollonio filii mortem lugenti, ut jam antea Hippocli in eadem fortuna versanti

(1) Themist. *Orat.* XXX.

(2) De his omnibus *Axiochus* adeund. in Platon. oper. 729 *sqq.*

(3) Vid. postea quæ Lucretio et Plinio majori de iisdem placuerint.

(4) *Hist. Mundi* VII, 1 ; 56.

Crantor, in consolationem afferenda judicaverit. Utrumque etiam Prodici sapientiam compilasse facile credideris, si Plutarchi libellum perlegeris; usque adeo eædem quæ in Axiocho, consolandi rationes hîc passim reperiuntur. Quin fere ad verbum nescio quis Teles locum de vitæ incommodis sibi adscripserit in quodam *De Vita* libro, cujus fragmenta apud Stobæum exstant (1). Ceterum satis ei placuisse Prodici opera videntur; namque mox nobis locus erit notandi eumdem Teletem aliquid Herculis allegoriæ, orationisque *de Divitiis* subduxisse.

Multa etiam apud Euripidem occurrunt quæ Ceii magistri doctrinis vel moralibus imbutum eum, innutritumque esse arguunt; ita, quum Theseus in *Supplicibus*, (2) « quidam, inquit, mala dixit plura esse hominibus mala quam bona, » quis non significari Prodicum putaret, quem Euripidi (ut erat ἐνθυμηματικός) pulcrum fuit refellere? Neque enim fuit injucundum Atheniensibus qui orationi *de Vita ac Morte* apud Calliam habitæ adfuerant, talia in theatro disceptata auscultare, præsertim quum poetis scenicis, ut epulas potissime amatas auditoribus apponerent, controversias fabulis inserere mos esset (3). Idem Theseus infra: « Unde quodcunque, ait, in corpus nostrum venit, illuc revertitur; spiritus in æthera, corpus autem in terram : id enim non proprium habemus, sed in hac vita domicilium; qua finita, id oportet recipiat terra nutrix » (4). In istis quoque Prodici placita de anima et corpore agnoscenda. De talibus autem si quis plura velit, V. doctiss. Welckerum adeat, qui, quum nihil certi omittit, tum ultra fidem plura jaculatur. Nobis sit satis in postremum addere, his *Polyidi* aut, ut quidam volunt, Phrixi versibus :

Τίς δ'οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δέ ζῆν κάτω νομίζεται; (5).

(1) *Serm.* XCVI, p. 525.

(2) V. 194, sq.

(3) Vid. V. Cl. Patin. *Études sur les Tragiques grecs.* T. I, p. 54, et alib.

(4) V. 532, sqq. Cf. Pind. apud Clement. Alex. *Stromat.* IV.

(5) Hi versus laudantur à Platone in *Gorgiá.* 300, A ; a Diog. Laert. IX,

aliquid subesse quod ad eamdem magistri Ceii doctrinam referre possumus; et hanc sententiam frustra ab Aristophane illusam (1), Platoni atque inde Ciceroni placuisse, et in multos ethnicorum et Christianorum devenisse libros, ut est apud D. Gregorium Nazianzenum (2), Lactantium (3), D. Augustinum (4), et in illo opere aureo quod *Imitatio Christi* nuncupatur, ubi inter talia hæc legimus : « Quomodo dicitur vita tot generans mortes et pestes?... » (5). Ceterum, cunctis Ecclesiæ Patribus aut doctoribus talia in mentem venere quæ in sacras conciones et ipsi, et qui eos secuti sunt sacri oratores, usque ad nostram memoriam, reponere non dubitaverunt (6). Quomodo igitur fieri potuit ut acerrimus ille philosophorum veterum judex, Herric. Ritterus illam sententiam Prodico crimini dederit, eos dicens nullum ad vivendi finem spectare qui nihil veri rebus inesse credant (3). Quod tamen ipse satis jam redarguerat Ceius ipse, quum doceret hanc vitam nos-

73, sed paulo aliter (νομίζεται βροτοῖς); a Sext. Empiric. *Pyrrhon. Hypotyp.* III, 24; ab Origene *Contr. Cels.* VII, ut a Platone, absque duobus ultimis verbis. — Aristophanis enarrator ad *Ranas* eos esse ait ex *Hippolyto* Euripidis: sed non reperiuntur in hac fabulâ, ut nunc exstat.

(1) *Ran.* 1082, 1477.

(2) *Carmin*, XIV, edit. Caillau, p. 471.

Φράζεο μὴ ζωὴ μὲν ἔχῃ μόρον, ἠδὲ τελετὴ
Ζωὴ σοί γε πέλῃ, ἔμπαλιν ἢ δοκέεις.

(3) *Institut.* III, 18.

(4) *Civit. Dei* XII, 20; XIII, 10. — Rem juxta erroneam quorumdam de inferis sententiam explicat Macrobius, *ad Somn. Scip.* I, 10.

(5) III, 20, 3-4.

(6) Vid. inter plur. Rev. Patr. H. D. Lacordarii *Sermones To'osæ habitos*, *Correspondant.* 25 juillet 1856, p. 529 : « Comme si mourir était autre chose que vivre, et qu'atteindre Dieu, etc. »

Nuperrime etiam egregius poeta nostras suam hanc sententiam faciebat in *Meditatione* de Verbis sacris : « *Quia pulvis es.* » V. Hugo *Contemplations.* T. I, III, 5.

(7) *Histoire de la Philosophie*, trad. de M. Tissot. T. I, p. 466. — In eodem fere versatus est errore. V. Doct. Stapfer, in vit. Socratis (*Biographie Univers.* XLII, p. 536).

tram peregrinationem esse, et finem ultra nobis prospiciendum. Quò quum, toto hoc vivendi curriculo commode et honeste peracto, pervenimus, consentaneum esse ut æquo animo et prope lætum pæana canentes, necessitati concedamus. Namque bonis simul ex hac terra egressis veram puramque et fine carentem felicitatem dari. Ita sane voluisse Deos qui quos ceteris pluris faciunt, eos ab hac vita citius revocant, æthereis illis admiscendos choreis, quas Euripides magnificis versibus concelebravit (1).

Haud magis liquet ex quo *Axiochi*, ut fingit, loco extorserit De Gerando hanc quam Prodico imputavit opinionem : « Animum ex apta corporis organorum compositione, seu virium *physicarum* concentu constare (2). » Satis contra demonstratum est, animum visum esse Prodico aliquid divinum, immortale, cui nihil cum terreno corpore sit commune, nisi quod in hac vitæ brevi et misera peregrinatione, isto quasi tabernaculo includitur. Quam retulit De Gerando, Epicurea est de animo sententia, cui nihil simile proximum ve in *Axiocho* reperimus. Procul dubio apud Lucretium occurrunt nonnulla quæ ex Prodici placitis orta esse aut detorta facile credamus, qualis est hic versus :

Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum (3)

sed, ut Epicuri interpres subinde adjicit :

Quandoquidem natura animi mortalis habetur

extemplo quam distet ab illo videre facillimum est; quod totum hunc Lucretii locum perlegenti magis perspicuum fiat.

Idem jure dicetur de Plinio majore qui tamquam dementiam, hanc, quæ nostri Ceii est, sententiam abominatur : « iterari vitam morte, » atque, admissis nonnullis quæ minus bona aut dubia in *Axiochum* irrepsere, « omnibus a suprema die eadem » canit

(1) *Pirith.* tragœd. fragm. apud Euseb. *Præp. Evangel.* XIII, 13. — Cf. Perictyon. Pythagor. femin., apud Stob. *Serm.* LXXVII.

(2) *Systèmes de philosophie*, p. 96 : « Il (Prodicus) regardait l'âme comme un résultat de l'organisation physique. »

(3) Lib. III. v. 841 sqq.

« quæ ante primam, » ac « reviviscendi promissam Democrito vanitatem » deridet (1).

De Prodici opinionibus quæ ad virtutem pertinent similiter a nonnullis erratum est. Marsilius Ficinus (quod jam supra attigimus) cui forsitan errandi causa fuit quod in *Menone* Socrates sese a Prodico non satis eruditum fuisse dixerit, in ejusdem dialogi argumento narrat Socratem « quatuor Menonis, Aristippi, Gorgiæ et *Prodici* de virtute definitiones confutasse. » Nusquam autem videmus ubi sit et quæ sit ea quæ dicitur esse Prodici definitio. Ubi autem quid ea de re voluerit invenire est nisi in Herculis fabula? Hic virtus monstratur ea esse humani animi vis, cui vitæ nostræ imperium, ut, et quando, et quatenus libet, committere possumus. Nobis quoties fecerit auspicium, opus nostrum quam optime exercebimus, et inde ad finem nostrum nos dirigemus. Itaque virtus est proprie agilis ; neque otio, neque voluptati congrua (2); quidquid blanda voce hæc precatur, negat illa, utpote cui, si semel cesseris, iterum iterumque et magis cedas oportet. At contra Virtus, laboris patiens, imo periculi avida, quò tendat, pulchrum et bonum prospectat, non cogitato quid passura sit, nisi quo melius firmetur, pleniusque in sui possessionem veniat. Veræ quidem utilitati convenit, idque in lubrico vitæ itinere et moniti et adminiculi datur; majoris vero momenti nequaquam habendum. Sed in eligenda vivendi via, et quidquid inde agere velit, homini suus finis semper ante oculos esse debet, quo, docente virtute, et duce assiduaque indice ratione (3), pervenire tandem potest (4). Hostis autem semper adstat aut obstat voluptas, quæ distrahit animum aut impedit ; hostis infensissima, quæ devictam sese nunquam fatetur, expulsaque rursus instat, atque per quidquid adulationis est, sæpe etiam virtutis induta specie, aggreditur (5). Sed

(1) Lib. VII, LVI, 55.

(2) De his omnibus Xenophont. *Memorabil.* vid: II, 1, 27-30.

(3) φρόνησις, Themist. *Orat.* III, p. 93.

(4) τήν μακαριστοτάτην εὐδαιμονίαν κεκτῆσθαι. Xenoph. *ib*: 33. — θεὸν γενέσθαι D. Basil. *Ad. Adolesc.*

(5) Vid. Themist. *Orat.* III, *passim.*

morbus quoque voluptas (1), cujus imprudenti aut minore disciplina instructo insinuat virus, quod optima corrumpit. Igitur philosophi est hunc sanare morbum cui, nisi mature adhibeatur remedium, usque adeo invalescit, ut etiam in furorem vertatur, sicut optime judicavit de amore, Prodicus, qui « cupiditatem geminatam eum esse dixit, atque, si geminetur, insaniam fieri » (2).

De his omnibus plane assentiri (et quis non assentiretur ?) apud Xenophontem, Platonemque, Socratem videmus ; cui non minimæ laudi dandum censeo quod quidquid bonum, pulchrum et verum invenerant alii, amotis erroribus, discussis ambiguitatibus, ad clariorem lucem adduxerit (3).

Eorum quæ ad naturales quæstiones attinent, ut supra jam diximus, nihil fere e Prodici scriptis superest ; idque solum nobis, Galeno auctore, constat eum in physicis disputationibus nihil prope novi de rebus ipsis invenisse, eademque sensisse cum ceteris (4), sed summa, qua solebat, dicendi religione usum esse, atque, ut suo quodque poneretur loco vocabulum, unde ortum esset, et quo sensu vero acciperetur, investigasse. Ita, immutatis nominibus, amaræ bilis humorem φλέγμα nuncupâsse atque dixisse a verbo φλέγεσθαι, quod est *inflammari*, eam appellationem habere. Ceterum hoc albi coloris quod omnes homines græce φλέγμα vocant, Prodicum βλένναν appellavisse (5). Quem quidem Galenus tantum-

(1) Τοῦτ᾽ ἐστί τὸ ἡδονῆς ἥττω εἶναι, ἀμαθία ἡ μεγίστη· ἧς ἰατρός εἶναί φησι Πρόδικος. Protag. 212, F.

(2) ἐπιθυμίαν μὲν διπλασιασθεῖσαν ἔρωτα εἶναι· ἔρωτα δὲ διπλασιασθέντα, μανίαν γίγνεσθαι. (Ap. Stob. *Serm.* LXII.) Quod antea meminisse videtur Socrates aut Plato : καὶ εἰ μὴ δεδίει τὴν τῆς σφόδρα μανίας δόξαν, θύοι ἂν κτλ. Sed totum locum ubi fuse de amoris natura disseritur, vid.; et infra : « Μανίαν γάρ τινα ἐφήσαμεν εἶναι τόν ἔρωτα. (Phæd. p. 346 F ; — 352, D.

(3) Similiter jam notavit, G. Van Heusde (*Init. philosophiæ Platonicæ*, edit. alter. p, 395) « non prorsus abhorrere a Socratica et Platonica philosophia sophistarum placita. »

(4) φυλάττει μέντοι τὸ πρᾶγμα κατὰ ταὐτὸ τοῖς ἄλλοις. (*De Physic. Facult. II*, 9, p. 106, T. I.

(5) In libr. *de Natur. Homin.*, apud Galen.—De *Different. Febr.* II, 6, T. III, p. 132.— *De Physic. Facultat.* II, 9.

modo in appellatione, Platonem vero in rei ipsius cognitione, errasse declarat (1).

Inde jam percipi possunt nonnulla ex iis quæ Prodico de sermonis formatione et usu placuere. Qui, quum de recta verborum ratione ita disputaret, ut eam copiose et absolute a se tractari contenderet, conjectare licet pleraque quæ in *Cratylo* a Platone agitantur, magnum quoque locum in Prodici doctrinis habuisse. Veri etiam simillimum est permulta quæ probaverit, in hoc dialogo latere, quale est ubi docendi eam vim habere dicuntur nomina, ut qui nomina scit, res quoque ipsas ille sciat (2); quod nisi idem, at satis consentaneum est sententiæ quæ justioribus terminis in *Euthydemo* contenta, Prodico imputatur, « primam scilicet omnium studiosis discendam esse vocabulorum proprietatem » (3). Præterea, ut supra vidimus, Galenus id ab eo cuilibet scientiæ accommodatum esse testatur.

Sed ambitiosum fortasse et periculosum opus foret, ejusmodi res longius investigare, de quibus fere nulla, aut parum idonea indiciorum fides est. Neque id quidem probabitur quod voluere quidam, hoc habuisse consilii Platonem, ut Prodici doctrinam de recta nominum ratione everteret (4). Certe aliquam rei partem sophistis in disputatione permittit; sed quo argumento omnia ejus tela in unum Prodicum conjecta esse credas? Sermonis varias affert origines, ipsius vim naturæ quæ ut gestu, sic linguæ sonis imitetur; Deorumque quamdam legem, qui prima posuerint nomina : priorem sententiam placuisse Epicuro (5), Cratylo poste-

(1) *De Placit. Hippocrat. et Platon.* VIII, 6, T. 1, p. 326.

(2) *Cratyl.* 278, F H.

(3) *Euthydem.* 217, D. Πρῶτον γὰρ, ὥς φησι Πρόδικος, περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος μαθεῖν δεῖ. — Cf. Xenoph. *Memorabil.* III, XIV, — Arrian. *Dissertat. Epictet.* I, 17, 12, ubi veri satis simile est de Prodico agi : « Καὶ τίς ἐστιν ὁ γεγραφὼς ὅτι ἀρχὴ παιδεύσεως, ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις; κτλ.

(4) Garnier, *Dissertation sur le Cratyle de Platon*, daus les *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, LVII, p. 380, in-12.

() V. *Epistol, ad Herodot.*, apud Diogen. Laert. X, 75-76. — Cf. Lucret. V, 1027-1089; Procl. XVIII, p. 9.

riorem (1), satis notum; quid crediderit Prodicus, incertum. Melius ergo erit, si intra quæ bene novimus et quæ inde consequuntur, stabimus. Sic satis compertum habemus Prodicum quasi in cujusque aditu ac vestibulo scientiæ *de nominum proprietate* (περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος) tractationem, quoniam ex ea tanta effundatur lux, ut inde omnia jam collustrentur, præstituisse; atque duplici investigandi ratione usum esse ὀνομάτων διαιρέσει, καὶ περὶ ὀνομάτων. Verborum autem distinctionem hanc esse quam *Etymologiam* vocamus plurimis Platonis locis constat, qui eam tam diligenter in *Cratylo* (2) describit, quam pessime nominibus explicandis adhibet; διαίρεσις περὶ ὀνομάτων eadem esse ac *synonymia* videtur (3). Porro, quum unde ducta sint nomina quæsierit Prodicus, et contenderit fere nulla esse quæ idem prorsus significent, inde concludere possumus ei visa esse nomina cum rebus quas, tanquam imagines aut apta signa, referunt, omnino congruere.

Ex his quidam existimavere arbitratum esse Prodicum non hominum consensu esse imposita, sed ipsa natura nomina rerum extitisse. Sed id paulo, ut opinor, temerius : non enim multum per se ipsam in hac re valet natura, et primigenia tantummodo signa, gestus, oris sonos, simplicissimas voces, præbuit : unde sane orta sunt et pullulavere omnia vocabula; quæ cur non, aliquo auctore, deducta esse atque fidem habuisse, quum idem quotidie fiat, crederemus ? An et quæ fuerit hominum pars satis viderit Prodicus, incertum est : sed de his omnibus profecto perinde ac ceteri disputavit. Quod autem nusquam plura ad eumdem sensum pertinere vocabula credidit, id nequaquam pendet ex ea, quam sibi finxerat, acceperatve, de sermonis origine sententia. Namque, quum putaret talia esse nomina ut res ipsas referant, inde quod libebat poterat inferre. Illud fortasse pri-

(1) Cratyl. 279, E.

(2) 261, G.; 274, B. Ημᾶς δὲ δεῖ, εἴπερ τεχνικῶς ἐπιστησόμεθα, σκοπεῖσθαι αὐτὰ πάντα, οὕτω διελομένους.

(3) *Charmid.* 239, G.

mum eum animadvertisse libenter credam (1), quippe quod omnibus quæ docuit subdidit fundamentum ; atque hoc non sine jure quidem, sed nimis videtur esse gloriatum, quum nihil aliud quod in eo cavillaretur, ipse repererit Plato. Quiquid id est, optime literis vertisse nequaquam infitiandum puto. Quum verba ejusdem utique significationis plura esse negaret, quid quodque proprie valeret, ei necesse erat quærere : inde discussa examinataque omnia vocabula (2), et, primis cujusque elementis repetitis, ad veras rerum notiones revocata (3) ; inde ea, quam dicendi tenuitatem (μικρολογίαν), quidam detrectavere ; alii autem exquisitam maximis laudibus extulere diligentiam (ἀκριβολογίαν) (4). Hanc curam, etsi nimia erat, minime aspernatus est ipse Aristoteles ; atque jam supra notavimus hoc eum probavisse, quod Prodicus, generali unius rei uno verbo comprehensa notione, ut est ἡδονή, ejusdem usquequo pateant singulæ facies et quo quæque vocabulo contineatur, ut χαρά, τέρψις, εὐφροσύνη, subinde explicaverit (5). Idem præterea Aristoteles jam in eodem opere declaraverat « etiam in iis quæ longe distant, utilem esse contemplationem similium ad definitiones (6). » Scilicet, ut erat tam diligenti quam acri ingenio, intellexerat opus esse scientiæ ea dicendi ratione, quæ nihil incerti ambiguive admittat. Etenim ante argutas Socratis Platonisve disputationes ; ante subtiles Aristotelis explicationes, veterum neminem id pensi habuisse

(1) Id ipse testatur Galenus : μόνος γὰρ φαίνεται Πρόδικος ἐζηλωκέναι ταύτην ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν.... *In Hippocrat. libr. de Articulis Comment.* IV, 16, p. 645.

(2) V. g. δεινός (in *Protagora* 205, H ; 206, A.).

(3) Ibid. vide.

(4) Galen. ibid. — Cf. id. *De Methodo medendi*, III, 6, ad calc. « Intelligo autem μικρολογίαν qua dividunt in genera Τὸ ὄν, τὸ ὑπάρχον, τὸ ὑφεστώς, » ubi designari Prodicum suspicor. — Vid. et Antyllum apud Marcellin. in *Vita* Thucydid. 56 ; Themist. *Orat.* IV, ubi ὀρθοέπειαν Prodici laudat.

(5) Aristot. *Topic.* II, 6. — Cf. *Protagor*. 204, D.

(6) I, 16, 12. Οἷον ὅτι ταὐτὸν γαλήνη μὲν ἐν θαλάττῃ, νηνεμία δὲ ἐν ἀέρι ἑκάτερον γὰρ ἡσυχία, κ.τ.λ, quæ Prodici more discriminantur.

quibus vocabulorum finibus res comprehenderet, nonnulli contenderunt (1). Prodicum autem primum omnium, quanti in omni re bene verba definire intersit, vidisse, ejusque et præcepta et exempla haud parum Socrati profuisse credibile est. « Hic, inquit Xenophon, nunquam suis cum familiaribus considerare desinebat quid res quælibet esset; » (2) atque, apud Platonem, idem non ex nomine rem, sed ex re potius ipsa discendam quærendamque contendit (3). Minus quidem bene Prodico ex nominibus ad rerum notitiam ire placebat. Nonne vero, ut nomina distingueret, res ipsas et considerare et explicare necesse fuit, ut, exempli causa, quid sit *ambigere* et *contendere;* quid *laudare* et *probare;* quid *gaudere* et *voluptate affici* (4)? siquidem satis constat ex rerum definitione pendere verborum definitionem (5). Quid multa? ex his omnibus satis apparet Prodicum veritatis quam amantissimum fuisse, inanibusque alienum controversiis quæ nulla via melius devitentur quam si inter disceptantes bene de rebus ac rerum nominibus convenerit.

Itaque vehementer dolendum est quod ætatis invidia perierint omnia quæ et ipse et ejus discipuli, ut Theramenes, de his rebus scripserant opera; namque linguarum studiosis rectam aperuerant viam, quia quoniam postea decesserint, tandiu multis modis erravere veteres (6).

Antequam quæ ad philosophiam spectant, relinquamus, obiter attingere necesse est quod, nescio qua fretus auctoritate, in *Theæteti Epitome* Marsilius Ficinus dixit, asseruisse, Leucippo auctore, Prodicum, « elementa rerum, quia simplicia sunt, proptereaque sine ratione, ignota esse. » In ea nescio an fuerit

(1) P. Janet, *Essai sur la Dialectique de Platon*, p. 22.

(2) *Memorab.* IV, VI, 2.

(3) *Cratyl.* 280, A.

(4) *Protagor.* 204, C.D.

(5) H. Ritter, *Histoire de la Philosophie*, trad. de M. Tissot, t. I, p. 468.

(6) Vid. Spengel, *Art. Scriptor.*

opinione Leucippus, de qua abunde in *Theæteto* disputatur, ubi dicuntur quidem « ignota esse elementa, sed tamen sensibus percipienda. » (1). Sed in omnibus, quæ exstant, græcarum litterarum monumentis, nihil utique est ubi illud quorumdam, ut loquitur Socrates, somnium Prodico adscribatur. Huic igitur opinioni non videtur diutius immorandum.

Non magis quæ Prodico de arte oratoria placuere, artem sophisticam redolent. Rhetoricam definiebat « *vim esse orationis in his quæ apposita ad persuadendum videantur* » (2), tribus describens verbis quid sit, quid efficiat et qua via. Vis est, sive, ut loquitur ipse Aristoteles, fere Prodico in hoc assentiens, potestas (quis neget?) quæ tanta, tamque utilis est, ut inter præcipuas hominis facultates eam ille posuerit, atque ex injusti usus crimine sibi sumpserit eximere (3). Ipsius autem via, oratio rationi innixa (λόγος), qua dialecticæ respondet, ejusdem propago et effigies. Munus non est persuadere, sed considerare quid videatur esse idoneum ad faciendam fidem. Hoc sane Euripides, quem Prodici præcipue oratoria institutione usum fuisse tradunt, habuit in mente, ubi cecinit « nullum esse suadelæ templum, præter orationem (4). » Cujus janua est Rhetorica, qua facilior, quamvis non unus, ingressus.

His vero inclusa terminis ars non suo jure majora promittit; sed, si persuadere officium suum esse profiteatur, repugnantibus inter se conjunctis, pro eloquentia accipi velit, quam, sicut poesim et quidquid natura tribuitur, doceri non possumus. Itaque Gorgias, qui, apud Platonem, definitionem probat eam, quæ placuit Tisiæ Coracique, « Persuasionis esse rhetoricam artificem » (5), in

(1) Τὰ μὲν στοιχεῖα ἄλογα καὶ ἄγνωστα εἶναι, αἰσθητὰ δέ. *Theætet.* 139, E, F.— Consul. v. cl. Cousin vers. gallic. argument. T. II.

(2) Anonym. *Prolegomen.* περὶ στάσεων, apud Spengel, *Art. Scriptor*, p. 173, 213.

(3) Aristot. *Rhetoric.* I, 1, 2.

(4) Euripid. *Antigon.* apud Aristoph. *Ran.* v. 1391.

(5) *Gorg.* 283, E.— Cf. Anonym. *Prolegom. ad Hermog. Rhetoric.*, p. 8. Edit. Aldin. 1509.

controversiam a Socrate vocatur, e qua, ut sese inclusit ipse istis angustiis, non præclare evadit. Minime autem infitiari velis contingere posse, ut, si quis vitæ morumque exemplar respexerit, et clarorum oratorum nocturna diurnaque manu versaverit opera, explorata diligenter, qua fidem fecerint, via, inde præceptorum seriem, aut artem ducat, per quam sic mentem informare liceat, ut facilius perspiciat quid id quaque re magis ad persuadendum appositum esse videatur. « Quid videatur, » non « quid sit » dixit Prodicus, quia id tam multis e rebus pendet, utrum faciat fidem orator, nec ne, ut nunquam fere extra omnem aleam constet. Quod si semper ad finem perveniret oratio, justis finibus artem suam constituisset Gorgias, atque esset ars certa persuadendi.

Ceterum nulla, ut Tisiæ, sic Gorgiæ quoque religio de via qua quo destinaverit, perveniret, atque vim orationis ita adhibebat, ut *parva esse magna, et magna vicissim parva, vetera item nova et novissima vetera viderentur* (1). Plato quidem, qui id tradidit, nihil ibi comminiscitur; namque Isocrates qui Gorgiæ quoque oratoria disciplina usus est, idem natura orationem valere candide professus est (2). Ista igitur arte id doceri jure diceres, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset. Quod crimen, quanquam Prodico a Cicerone (ut fere solitum est omnes qui sophistæ dicuntur, promiscuis criminationibus comprehendi), inferatur (3), non meliori jure eum premit quam Socratem, cui idem ab Aristophane, Melitoque objectum est (4). Socrates enim apud Platonem memorat Prodicum olim, quum ex se audiret illa Gorgiæ Tisiæque præcepta, valde risisse (5). Pariter idem, si loco Aristotelis *Rhetoricæ* probabiliter restituto fidem adjungas, et Thrasymachi *fiduciam*, et juvenilem Poli *impetum*, nomi-

(1) *Phædr.* 353, C.

(2) *Panegyric*, p. 13, edit. Auger, 1788, in-12. — Eamdem sententiam vid. in Longin. *Fragm.*, edit. Egger. *Append.* 34, p. 234, de qua Notam consul. p. 249.

(3) *Brut.* VIII.

(4) Aristoph. *Nub. V.* 1042 et *pass.*; — Plat. *Apolog.* 357, B, D, E,

(5) *Phædr.* 353, C. D,

nibus in jocum, qui cum solita ejus et curiosa vocabulorum explicatione satis congruit, lepide versis, deridebat (1). Unde quoque arguitur sese a Sophistis separari voluisse, quod omnino probavit Maximus Tyrius, pulchra Prodici eloquentia memorata, Hippiæ autem vana facundia, rhetorica Gorgiæ et Thrasymachi violentia (2).

Non minus hoc ab illis distabat, quod sese de oratione invenisse profitebatur, quodque ejus ingenio semper modum tenenti, optime conveniebat. Quum ridiculum diceret esse, si quis brevitatem quamlibet de omni re, infinitamve dicendi longitudinem gloriaretur, se solum reperisse credebat veram orationis artem, quæ, sicut prædicabat, justa mensura terminatur (3). Id etiam adeo probavit Aristoteles, ut in *Rhetorica* simile præceptum dederit, lepideque explicaverit (4).

Quid autem illud est, nisi dicere apte? Quod ea lege tantum potest fieri, si quid deceat diligenter inspexeris. Hæc enim rei summa est; namque quid refert ut quantulacunque de re diutius et sine intermissu facile eloquaris? Eam, opinor, vulgus vocat eloquentiam; quibus vero et caput firmum est, et emunctæ nares, et exquisitius judicium; quique flocci faciunt inopem copiam et nugas canoras, illis opportet res, sententias, argumenta afferre, variare, disponere queas. Scilicet parum est quod teretes mulceas auriculas et occupes oculos, nisi oratione ad rem accommodata, animum tractes ac pectus moveas (5). Id est demum apte dicere et justum orationi modum adhibere: eaque, quæ vere est Attica, dicendi ratione Atheniensibus placuisse Prodicum jam memoravimus (6). Verum tamen sapientiæ studium nunquam omisit,

(1) II. XXIII, 29. Edit. Buhle. — Locum sic restituit Spengel, quem laudat Welckerus (in supra dicta dissertat). Codices tamen mss. Πρόδικος omnes habent. — Cf. Maxim. Tyr. VII, init. ubi τὴν Θρασυμάχου ἀδικίαν memorat.

(2) *Ibid.*

(3) *Phædr.* loc. citat.

(4) *Rhetor.* III. 16: — Cf. Quintil. IV, II, 43-46.

(5) Buffon, *Disc. de Réception à l'Acad. française.*

(6) ἱκανώτατος ἀνθρώπων ἔδοξεν. Philostrat. l. c.

usque adeo ad veritatem colendam animo promptus, ut eam, vel capitis periculo, haud semel professus sit.

Eæ sunt doctrinæ propter quas Prodico cognomen sapienti, sapientissimo, divino (1), ab omnibus et ipso Platone (2) additum est, quod proverbio jam ejus ætate vulgato : « *Prodico sapientior*, » optime convenit (3). Sic voce populi, quæ, ut vulgo dicitur, est tanquam vox Dei, prædicabatur ille vere esse sapiens, eo ipso tempore quo Delphii Apollinis oraculum canebat Socratem esse mortalium sapientissimum.

(1) *Protagor.* 195, G. πάνσοφος γάρ μοι δοκεῖ ἀνὴρ εἶναι καὶ θεῖος, ubi minime cavillari videtur Socrates.

(2) Vid. loc. cit. Platon., Xenophont., Div. Basil. et ceter.

(3) *Epistol. Socrat.* XIII, p. 405. — Suid. V. Πρόδικος. — Consul. Erasmi *Adag.*, Chil. IV, Cent. II; de cujus proverbii origine adeund. quoque V. Cl. Welcker. oper. laudat., § II.

CAPUT SEXTUM.

Prodici discipuli et auditores.

Eloquentia et doctrina tantum sibi existimationem conciliaverat Prodicus, ut eum quisque optimus Atheniensium audire cuperet. Socratem ipsum jam vidimus, ut cui non satis erat sese discipulum ejus et amicum profiteri, ad illum adolescentes deducere. Ceterum quemque scientiæ avidissimum summa benivolentia, et eloquentiæ gravissimæ simul ac jucundissimæ dulcedine, sed magis maxima eruditione alliciciebat: atque unum esse Prodicum quem sibi audire placeat, jam profitentem audivimus *Nubium* chorum, cujus sub persona, qui novis philosophorum studiis faverent, latere omnes, neminem fugit. Quos mero philosophiæ studio cunctos teneri non contendam, neque philosophi quidem discipulos, sed quasi *inquilinos* vocem, apud eum venientes, ut audiant, non ut discant, aut etiam, quod pessimum est, aliquid sapientiæ, fucorum instar, depascentes, ut arma sibi parent, atque ad occupandam tyrannidem vias muniant. At multos veræ philosophiæ discipulos docenti Prodico assedisse quoque videmus. Quos inter profecto primus est Socrates, qui tamdiu Prodico magistro, eodemque amico usus est, ut se consuetudine cum illo junctum profiteri posset. Multa scilicet erant in illius doctrina, quæ Socrates bene acciperet, ad mores usumque vivendi pertinentia (1). Etenim, ut Prodicus longe alia mente erat ac ceteri qui merita ignominia Sophistæ notati sunt, non dabat verba, sed verbis veritatem meram exprimere studebat. Ex eo Socrates et inde ipse Plato eam diligentissimam distinguendorum definiendorum que verborum rationem accepere, quæ errori minimum facit locum; ex eodem fortasse Socrati obvenit in quolibet

(1) V. Plat, *Menon*. 22. C; *Protagor*. 212, F.

hominum cœtu docendi (1) consuetudo; ideoque non satis intelligitur cur eam et Prodico et nonnullis ejus ævi magistris exprobret aut objiciat Plato.

In Prodici discipulorum numerum adscribitur quoque Euripides (2), cujus in fabulis (quanquam eum tradidere rhetorica modo institutione usum esse) multa deprehendere est, ut demonstravimus, quæ varias philosophi doctrinas redoleant; Isocrates (3), qui, ut opinor, in ejusdem schola tractare cœpit illam verborum numerosam compositionem et exquisitam dicendi formam quam tanto studio postea amplexus est, ut artificiosæ hujus eloquentiæ auctor, magisterque optimus habitus sit (4); præterea apud eum non pauca occurrunt, quæ verborum distinguendorum consuetudinem Prodici satis reddunt (5); item Theramenes (6), Ceius ipse, et perinde atque Euripides, Socratis quoque auditor, qui non minorem magistris laudem attulit. Ille, quum in statu reipublicæ populari, magna sæpe obiisset munia, post urbem captam, Trigintavirorum unus fuit, et, teste ipso Xenophonte, siquid isti vi aut injuria facere vellent, fortiter adversabatur. Itaque Critias, ut erat eorum violentissimus, et ad cædes propensissimus, ex amico inimicissimus Theramenis evasit, atque apud collegas suos accusavit quod populo, optimorumque inimicis faveret. Mox Undecimviris quum a Critia traditus esset indemnatus, cicutæ potu necatus est (7). Cicero, in *Tusculanis Quæstionibus* egregiam viri mortem non sine justa miseratione narravit, qui suspicaci et sollicita paucorum dominantium sævitia

(1) *Hipp. maj.* 99, B.

(2) Suidas, V. Εὐριπίδης; — A. Gell. xv, 20; — Manuel Moschopul. σύνοψις τοῦ βίου τοῦ Εὐριδ. — Cf. J. Palma. *De Euripidis vita et fabulis*, Paris. 1849, in 8°, p. 11.

(3) Dionys. Halicarn. *De Isocrat.* I; — Pseudo-Plutarch. *Vit. Isocrat.* init.; — Photius, *Myriobibl.* col. 1453.

(4) Cicer. *Orat.* LII.

(5) *Panegyric.* 36; *Helenes Encom.* 14.

(6) Athen. V, 62.

(7) V. Xenoph. *Hellenic.* II, III, 15. — Cf. Dion. Halic. *Isocrat.* I.

interfectus est, sicut ipsum Prodicum populi fautores, semper philosophis infensissimi, ad eamdem necem demisere (1).

Vir ille qui publicis in rebus versabatur, scribendi arti multam impenderat curam, atque exercitationes rhetoricas tribus comprehenderat libris : *De Similitudine orationis, de Imaginibus* seu *Allegoriis* et *de Figuris* (2).

A Socrate, in Xenophontis *Convivio* (3), audimus et in discipulorum Prodici numero divitem Calliam fuisse, cujus in domo sæpe disseruit philosophus; quocirca etiam Æschines Socraticus in dialogo qui *Callias* inscribebatur, ubi Anaxagoræ, Prodico quoque ludum fecerat. Inter ceteros sales quibus et discipulum et magistros asperserat, hoc ab Athenæo servatum est : « A Prodico ad perfectam disciplinam adductum, aut, ut vertit Casaubonus, initiatum fuisse Theramenem (4). » Quo quidem quid attici lateat leporis, haud satis, ut nunc est, nobis intelligitur : sed fortasse subest aliquis circa verba similia jocus, de ea discipulorum venatione quam attigit Philostratus (Θηραμένης, θηρώμενος).

Damonem musicum, Socratis amicum et magistrum (5) inter assiduos Prodici auditores, teste Platone (6), numerare debemus, cujus sapientiæ studiosissimus, ab eo accepit hanc nominum scientiam quam præ ceteris callebat Ceius.

Denique jam supra satis memoravimus quanta admiratione, in Bœotia, eum prosecutus sit Xenophon, et qua prece, in *Protagorà*,

(1) Theramenes cognomine cothurnus dicebatur, quod in republica capessenda, mobili, ut aiunt, esset animo, atque, istius calceamenti instar, quod utrique pedi convenit, ad utrasque partes spectare videretur. — Vid. Xenoph. *ibid.* ; — Suid. V. Πρόδικος, Θηραμένης, δέξιος, κόθορνος ; — Photius, *Lexic.* sub vocib. εὐμεταβωλότερος καθόρνου. — Tletzes, *Chiliad.* XII, 406; — Aristoph. *Ran.* v. 540 967, sq. — Vid. et V. Cl. Artaud not. in version. gallic. p. 431, 445, edit. Charpentier. — Cf. Anonym. *Vit. Isocrat.* p. 7-10.

(2) Suidas, ibid.

(3) IV. 62. — Cf. id. 1, 5.

(4) Athen. V, 55, 60, ubi consul. Casaub. version.

(5) Diog. Laert. II, 19. — Suid. v. Σωκράτης.

(6) *Lachet.* 253, F.

eumdem, ut lecto surgeret, atque cum ceteris versaretur disputantibus, Alcibiades impulerit. Nihil tamen certi invenimus ex quo Alcibiadem eo magistro usum esse affirmare liceat; sed minus etiam perspicimus quo freti testimonio Prodici auditoribus aut discipulis Periclem et Gorgiam nonnulli annumeraverint (1), quando quidem eos nusquam antiquitatis ita designatos reperiamus.

Postremo, notatum est quam multa in Thucydidis oratione exstent Prodiciæ dicendi formæ vestigia, quæ, quum, desideratis omnino Marcellini adnotationibus, diligenter investigarit, repereritque v. doct. Spengel, ei non alienum statuere visum est Thucydidem quoque Prodici disciplinam sectatum esse (2).

(1) Brucker. *Hist. Crit. philosoph.* Part. II, liv. II, Cap. XI, § 24, ubi vid. not. — Gotthelf. Aug. Cubæus, in *Dissertat. de Prodic.*, p. 4.

(2) *Script. Artium*, p. 46-59.

CAPUT SEPTIMUM.

Epilogus.

Nunc nobis videmur eo rem deduxisse ut, interrogati an fuerit sophista Prodicus, responderemus profecto fuisse; sed eodem modo quo Solon atque Pythagoras (1), ceterique sapientes, et viri divini, qui *vitam*, ut canit Virgilius, *inventas excoluere per artes*, (2) et quid verum sit, quid rectum, quid pulchrum toto animo quæsiere (3); fuisse autem valde negaremus, si sophistam appelles, impudentem venatorem, qui divites discipulos excipiat, mittatque in vivaria; mercatorem, vel potius doctrinarum cauponem, qui meluis ducat quod videtur esse, quam quod re vera est; circulatorem, qui ambitiosis verbis speciosas commendet merces; futilem, abundantemque locutorem, cujus nullam rebus curam impendentis magnificæ orationes bene existimentur in ore nasci, non in pectore, atque ad id tantum apparari, ut esca captos parvos grandesque prætextatos irretiant, et indoctorum turbam decipiant; cui nihil pensi est nisi unde quam maximas colligat pecunias (4). Ex his omnibus quod unum Prodico imputari potuit, scientiam venalem habuisse, cetera secuta sunt. Sed satis demonstratum est eum nihil præter exiguam mercedem, unde res necessarias sibi suppeditaret (5), exegisse. Quocirca tamen ipse Plato, quia turpem doctrinæ mercatum radicitus tentaret evellere, ne Prodicum quidem,

(1) Themist. *Orat.* III, p. 105. — Diog. Laert. procem, 12-13. — Cf. Herodt. I, 29. — De artificib. et poetis quibus nomen inditum est sophistis, Vid. Cratin. apud. Diogen. Laert. *ibid.* 12; — Pindar. *Isthm.* IV. (V. in veterib. edit.) 31. *Ad Phylacid. Æginet.* μελέταν σοφισταῖς, de quo adeund. Scholiast. Sophoclis auctoritatem afferens. — Aristot. *Ethic.* VI. 7. — Ælian. H. A. II, 1: τοῖς σοφισταῖς τῶν ἱερῶν μελῶν.

(2) *Æneid.* VI, 663. — De quo vid. Serv. Comment.

(3) Protagor. apud Platon. in *Protagora.*

(4) De hac sophistæ effigie vid. Plat. *Sophist.* 154-155; — Isocrat. *Helen. Encom.* init.; *In Sophist.* init.; — Xenoph. *De Venation.* XIII.

(5) Xenoph. *Conviv.* IV, 62: χρημάτων δεόμενον.

quamvis eum fere nusquam sine honore memoravit, e sophistarum numero exemit : quanquam idem ille, ut orator erat tam idoneus quam dissertus, neque res verbis, sed verba rebus subjungere conabatur, ita severus, gravisque philosophus, non magis quid novi quam quid veri inveniret, sollicitus, a quoque optimo magistro accepit et docuit quæ maximi in hominum vita momenti esse viderentur, Deum esse, verum, bonum, sanctum, a quo omnia quæ sunt, tanquam communi fonte oriuntur ; qui homini libertate prædito egregiam virtutis vel laboribus et periculis quærendæ legem imposuit ; qui ei animum dat immortalem, ut genuinum ipsius domicilium, genuinamque patriam cœlum repetat (1) postquam vivendi curriculum confecerit, ubi quiquid ærumnarum dolorumve accidat, ut quotidianum roboris experimentum, libenter debet suscipere. Eloquentiæ sapientiæque magni æstimatus magister (2), Prodicus nullos e sua schola tales, quales ceteri sophistæ, extulit discipulos. Hi enim neque, ut Polus, intolerantius sese jactant ; neque, ut Callicles, præ se ferunt falsæ artis impudentiam speciosumque robur ; denique eodem animo, quo postea magister ipse, moriuntur.

Quum is non esset qui præcaveret omnia quæ docet Protagoras (3), ut salutem suam tueretur, Prodicus non tantum, ut quidam voluit, sophistarum innocentissimus fuit (4), sed perinde ac Socrates ipse, veritatis usque ad mortem acerrimus propugnator. Cur igitur utrumque quum calix venenatus, ut egregie loquitur Seneca (5), transtulerit e carcere in cœlum, non utrumque pariter sacrum fecit? Quare, quum laudibus tantis inclytus extollitur discipulus, tum turpissimis inustus maledictorum notis sempiternæ hominum memoriæ traditur qui ei philosophiæ moralis viam

(1) Cicer. *Tuscul. Quæst.* I, 22. — Cf. *De Senect.* XXI.

(2) τότε μέγιστον ὄνομα ἐν τοῖς Ελλησι ἔχοντος ἐπὶ σοφίᾳ. Dionys. Halic. *Isocrates*, I.

(3) Plat. *Protag.* 196. A. D.

(4) Spengel, *Art.Script.*, p. 59.

(5) *Epistol.* LXVII. — Cf. *Epistol.* XIII, sub. fin.

straverat, modestior magister? Dux quidem, ut jam diximus, erroris et auctor Plato; honesti sane erroris, quum philosophiam ab omni labe vindicare voluerit, sed tamen qui pessimo exemplo fuerit. Id enim unum a posteris consideratum, sophistarum numero Prodicum a Platone adscribi; id a cunctis pro certo habitum. Inde, mox illius abolitis fere omnibus libris, eo ventum est ut temere eadem trutina qua quisque vel pessimus scientiæ mercator, pensatus fuerit. Egregia etiam de Hercule fabula quam sua ætate adhuc exstare et circumferri testatur Suidas, atque quasi resonantia in *Axiocho* præcepta frustra ejus sanctissima sapientiæ monumenta ostendebant: illa quidem perpetua omnium admiratione affecta et maximi habita est; hæc vero aut neglecta, aut in deterius versa. Si quis autem forte nonnulla in Prodici placitis satis veritati congruere intellexerit, fere nemo fuit qui patrocinanti aures adhiberet: iisdem semper revocatis criminationibus, importuno semper repetito nomine sophista, haud desita sunt usque ad hocce nostrum tempus in sapientissimum doctorem congeri maledicta, contumeliæ, opprobrium. Eritne hæc defensio nostra utilior, acceptiorque? Quam philosophiæ studiosis dedicamus, hoc unum monentes in fine, quam multas ob causas facile de his rebus corrumpi possint hominum judicia.

APPENDIX.

De Herculis Prodicii imitationibus.

Si Prodicus totam, ut videtur, Herculis vitam continuaverit; sub ejus persona humanum animum effingens, qui primum a natura optimas habeat dotes; deinde, quum ei statuendum est quod vivendi genus eligat, dubitet, studiaque paulisper in contraria distrahatur; sed mox, spretis voluptatum illecebris, sese virtuti applicet, et, postquam, ea duce, multa egregie gesserit, ad cœlum denique, eumdem suum et fontem et finem, perveniat, scena illa duarum mulierum de regno certantium, quæ, ut loquitur Philo, in eodem animi contubernio habitant, præcipue in se omnium semper convertit oculos. Id enim maximi nostra hominum, utrum primum vicerimus, an victi fuerimus, interest; namque inde jam præfinitur totus vivendi ordo. Itaque plures quam bis mille sunt anni ex quo in ore omnium versatur illa Herculis Prodicii fabula, et nunquam defuere qui eam aut laudarent, aut imitarentur. Quos quum omnes nemo adhuc recensuerit (1), pretium operæ est quam paucissimis saltem enumerare, siquidem nulla auctoris laus est præstabilior quam cujus opera, hominum generi veluti sua probantur.

De hac re jam antea nonnulla memoravimus, et Aristophanem, ipsa Prodici ætate, bis ejus vestigia secutum esse, primum in *Nubibus,* ubi Δίκαιος Λόγος, qui *pulcras tenet arces sapientiæ* (2), et, Ἄδικος Λόγος, qui *concinnam musam* habet (3), iisdem fere decertant argumentis quibus apud Xenophontem Virtus et Volup-

(1) Vid. Mich. Neand. *in Opere aureo*; — G. A. Cubæus, in *Herc. Prodic.* p. 11-14; — V. Cl. J. V. Leclerc; qui, postquam in notis ad Cicer. *Epistol.* libr. V, nonnullas quum veterum, tum recentiorum Herculis Xenophontei imitationes retulit, in optimis ad. I. *De Offic.* libr. commentariis egregie egregiam in sermonem gallicum fabulam transtulit.

(2) V. 1024.

(3) Ibid. V. 1030-1031.

tas; et deinde, in *Pluto*, ubi Paupertatem cum Chremylo, suscipiente dei sui patrocinium, contendentem exhibuit. Sed fortasse ipsum ante Prodicum, Cratinus in fabulam quæ inscribebatur Πυτίνη, inter duas feminas Comœdiam, conjugem, et Ebriositatem pellicem, sese pendentem induxerat (1).

Eodem fere tempore, valde placuit Socraticis ea fabula, inter quos eam tradidit Xenophon, bis meminit Plato (2), et non modo in comparatione Παιδείας et Ψευδοπαιδείας, ad quas diversæ ferunt viæ, respexit Cebes, sed, in tota sua *Tabula*, hanc Prodici quam restituere conati sumus, fabulam imitatus est (3).

Simili modo in animo colluctantes Voluptatem et Virtutem bis ostendit Philo Judæus (4), de quibus locis jam quid nostra ferat sententia diximus (5). Et Dionem Chrysostomum quoque notavimus ex Prodicio fonte multa hausisse. Lucianus ipse sic induxit in *Somnio* (6) duas mulieres, quas descripsit, Artem Statuariam, et Eruditionem contendentes utra ad se juvenem trahat : cujus rei haud absimilis est contentio Junonis Minervæ ac Veneris ab eodem expressæ (7). Maximus Tyrius, in oratione qua secernitur amicus ab adulatore (8), paucis verbis Xenophontis orationem contraxit; atque supra satis memoratum quid, Themistii beneficio, hujus rei habeamus (9). Apud Philostratum Lemnium,

(1) Vid. Aristoph. Schol. ad *Equit.* v, 400.

(2) In *Protag.* p. 205, F. (ibid. infr. fortasse obiter attingit 212, F.) et in *Convivio* 317, B.

(3) V. Vitiorum blandimenta, (p. 70, et passim,) Virtutum, (p. 77,) et Felicitatis, (ibid.,) effigies. — Ea etiam utriusque similitudo sic in errorem duxit v. cl. Walter-Scott, ut Cebetem esse auctorem fabulæ de Hercule crediderit. (*Cromwell*, xiv).

(4) *De Sacrificiis Caïni et Abel.* p. 133. — Vid et *Leg. Sacrar. Allegor.* I, p. 72, ubi serpentinam depingit Voluptatem, meretricibusque similem, quæ faciem fucantur, ad tegendam deformitatem. In libro *De Mundi Opific.* p. 38, monstrat quæ sit hominis conditio sub voluptatis imperio, quam *lascivam meretriculam* appellat.

(5) Cap. III, p. 44. — (6) Sect. 6. — (7) *Deor, Dialog.* VIII, 20.

(8) *Orat.* IV, init. — Cf. *Orat.* XV, p. 91.

(9) *De Vera Amicitia Orat.* III.

qui ter de Herculis optione variis locis (1) mentionem injecit, Gymnosophista coram Apollonio Tyaneo Prodici fabulam narrat (2), quam sæpe in orationibus de pictura referri dicit. Ad hujus imitationem fortasse conficta esse putat Neander (3), quæ apud Galenum, in libro qui continet ad bonas artes adhortationem, de iis qui Mercurium et Fortunam sequuntur, reperimus. Athenæum et vidimus aliquid attulisse de hujusce mythi originibus (4). Libanius in Juliani imperatoris laudibus, exponit eum, quum plana floridaque Voluptatis via incedere liceret, Herculis exemplo, asperum Virtutis iter potius elegisse (5); et Julianus ipse, adhibita Prodici sapientis allegoria, Constantium Cæsarem simili testimonio commendat (6).

Non minus probata sunt Ecclesiæ Doctoribus Patribusque quæ de vita humana sub Herculis imagine protulit Ceius sapiens. talia, sed ex Xenophonte, apud Justinum Martyrem, expressa reperias (7), atque eadem ex Prodico ad *duplicem* D. Matthæi *portam* transfert Clemens Alexandrinus (8), qui alibi valde sophistæ Ceii imagines fatetur se approbare (9). Basilius quoque Magnus eas non solum expositas adolescentibus commendavit, monens dignum esse auctorem cui minime contemnendo animum applicent (10), sed et in his quæ de duplici vivendi via Sacræ

(1) *Vit. Sophist.* lib. I. 487; ibid. in *Vit. Prodic.*, et in Epistol. ad Juliam August.

(2) *Apollon. Tyan.* Vit VI, 5.

(3) In *Oper. aureo.* p. 46, sqq.

(4) *Deipnosophist.* XII, 2, P. 511; XV, p. 687.

(5) Liban. *Orat. VIII.* ad Julian. imperat. consul. p. 233.

(6) ὁ σοφὸς ἐν μύθοις Πρόδικος.... *Orat.* II. De *Constantii imperat. reb. gestis.* Edit. Petau, 1630.

(7) *Apolog.* II *pro Christian.* p. 96. A,

(8) *Stromat.* V. p. 561.

(9) *Pædagog.* 11, 10, p. 202. Eumdem simile quid habere notat Cubæus in *Admonit. ad Gentes*, p. 8, 49, ubi duas Voces Angeli et Joannis commemorat. Cub. *Dissert.* p. 12.

(10) *Ad Adolescent. Orat.* de scriptor. profan. legendis, T. II. p. 117.

Scripturæ habent, explanandis, sibi asseruit (1). Hinc etiam videntur esse efficta quæ cecinit Nazianzenus de quodam somnio suo cujus bis meminit, et in quo vidit Sanctimoniam (Αγνέιαν) et Temperantiam (Σωφροσύνην) sibi loquentes (2). Hinc manavere quoque quæ de tribus vitæ ordinibus ibidem sunt. His tandem prorsus sunt similia quæ Jo. Stobæus excerpta habet ex Teletis libro de comparatione divitiarum et virtutis, ubi, ut est apud Aristophanem, Plutus, suis laudibus prædicatis, omnes Deos superare sibi videtur (3).

Hactenus de Græcis : neque minor apud Latinos admiratio, neque segnius imitandi studium. Varronis Hercules Socraticus sæpe a Nonio Marcello commemoratur (4), atque ex allatis locis apparet hunc quoque Herculem ad Prodici fabulam esse referendum. Bis eamdem ex Xenophonte adscivit Tullius (5) atque in virtute et voluptate depingendis respexit Seneca (6), et eodem fere tempore Persius, ubi dicit semet Cornuto supposuisse,

Cumque iter ambiguum est et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes (7).

Paulo ante et se finxerat Ovidius ambigentem *quod sua musa moveret opus* (8), hinc illinc ab Elegeia atque Tragœdia sollicitatum et se priori in exiguum tempus, posteriori in æternum dantem.

(1) *Homil. in I psalm.* p. 95, T. I.

(2) *Carmin.* XLV. *De Animæ suæ Calamitatibus* θρῆνος, v. 229, sqq. p. 931, T. II.

(3) J. Stob. *Serm.* LXXXIX, p. 504.

(4) Sub. voc. *Sutrina*, *Tapete*, atque, si hoc opus idem esse putetur et quod inscribebatur Ηρακλῆς seu *Hercules*, vid. sub vocib. *Tutanus Tutilina*, *Vagas pro Vagaris* et *Celox*. Sed præcipue animadvertenda quæ sub voc. *Tapete* et *Celox* leguntur ; namque de oratione Voluptatis excerpta crederes.

(5) *Epist. famil.* v. 12 ; *de Offic.* 1, 32 ; ubi v. cl. J. V. Leclerc not. vid.

(6) *De Vit. Beat.* VII.

(7) *Sat.* V. 34-35.—Vid. not. Is. Casaub. p. 377. Paris. Hieron. Drouart, MDCXV. in-8o.— Cf. *Sat.* III, 55,56, de Littera Pythagorica et de eadem nonnunquam adscriptum Virgilio *Epigram.*

(8) *Amor.* lib. III, 5.

Inter προσωποποΐας exempla, Voluptatis et Virtutis formas a Prodico effictas notat Quintilianus (1).

Sed inter Prodici imitatores facile primum locum tenet Silius Italicus, qui sibi vere propriam fecerit fictionem, novis lineamentis, novisque allatis coloribus: Scilicet, ut notat Lenzius, Voluptas ejus est, qualis orientalis meretrix, pretioso cultu adornata; illa vero Prodici similior est ionicæ ἑταίρῃ. Ἀρετὴ quoque apud Græcum virtutes in qualibet vitæ conditione complectitur et mitiorem elegantioremque animi formæque indolem præ se fert: Virtus autem Silii est virago, aspera *heroina*, et imago bellicæ virtutis, juveni fortissimo consentanea, non virtus elegantioris Græciæ, sed veteris Romæ, cujus *frons* est *hirta*, incomptis et fruticantibus capillis, *stans vultus*, oculus eodem obtutu sibi constans (quo animi tranquillitas significatur, ut contra mentis motus æstusque luminibus lascivis mobilibusque voluptatis), et *lætus pudor*, grata verecundia (2).

Latinæ Ecclesiæ Patribus perinde ac Græcis placuit illa antiqua semperque recens animi allegoria. Etenim optime Sacris Scripturis quadrat, ubi jam ab incunabulis mundi hominem a vitio sollicitatum videmus; dein, in Salomonis Proverbiorum libro, quod supra notatum est, Sapientiæ Luxuriæque diversas adhortationes, audimus. Denique nec minus congrua est Evangelio in quo vel Christum, omnis virtutis auctorem, laudibus et promissis a Diabolo tentatum miramur (3): pristinam quoque de Angelo Custode cum Satana in animo contendente doctrinam refert. Plurimi igitur in scripta sua admisere fabulam, omisso tamen Prodici, Xenophontisve nomine. Lactantius etiam hanc cum imagine Pythagorea litteræ Y, et quadam duarum in Virgilii inferis via-

(1) IX, 2, 37. — Ibid. et notat Mortem ac Vitam contendentes in satura esse traditas ab Ennio et Prodici *de Vita et Morte*, ut suspicor, librum imitante. Hoc simili fortasse forma repetitum esse, nostra quidem memoria, ab Alf. Musseto mirum est. — Vid. *Le Voyage où il vous plaira*, p. 31, Paris, 1852.

(2) Sil. Italic. *Punic.* xv. 23-30, cum Lenzii notis.

(3) *Evang.* sec. Matth. iv. 1-11.

rum mythica interpretatione commiscuit (1). A. Prudentius, iisdem quasi fundamentis ingentem, quam in *Psychomachia* evolvit, allegoriam ædificavit: certe quædam ad eumdem depingendi vitii modum pertinent, qualem se gerit Luxuria,

Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita deliciis, vitæ cui causa voluptas, etc.

Div. Ambrosius Philonis imagines tantum reminiscitur, et, multis recisis, latine vertit (2); narrat Augustinus suum quæ procellæ vexarint, qui alternantes venti impulerint animum de instituenda vita deliberantem (3); quomodo in mente colluctati sint spiritus et caro (4). D. Bernardus describit voluptates quæ solent in occulto insidiari, quasi quædam fraudulentæ vulpeculæ (5); alibi monet caveamus Dæmonum vias, quæramus autem quæ sint sanctorum Angelorum viæ (6).

Postea non defuere qui Prodici fabulæ meminerint, et mirantium nunquam interrupta series est. Videndi sunt inter plures Lil. Gyraldus in *Historiæ Deorum syntagmate* X et præsertim in *Herculis Vita* (7); Lud. Vives, qui in libro *De Ratione discendi et docendi* Herculem Prodicium exemplum affert descriptionis ad mores pertinentis (8). Eumdem laudant Gerard. Vossius in tractatu *De Rhetoricæ natura et constitutione*, atque Henric. Stephanus in præmissa *Catechismo Genevensi* græce translato adhortatione. Præterea produci possunt Borrichius, Camerarius, Stigelius et G. Cossartius, jesuita, quorum ille græco (9), hi tres latino carmine eadem descripsere (10).

(1) Lactant. Firmian. *Institut.* VI, 3, 4. Ubi cf. Serv. ad *Æneid.* VI, 136-295. Hic etiam somniat aureum ramum duplicis vivendi cursus esse imaginem.

(2) *De Caïn. et Abel.* I, 4-5. — (3) *Confess.* VI, 11. — (4) Ibid. VIII, 10-11.

(5) *Serm. LXIV in Cantic.* Edit. D. Mabillon, t. I, 1484. Paris. MDCXCX, in-f°.

(6) *Serm. XI in psalm.* « *Qui habitat*, etc., » t. I. 858.

(7) T. I, in f°. 316. — *Herc. Vit.* p. 10, in-12, Basil. M.D.XXXIX.

(8) Basil. MDXXXVI. p. 175, in-12. — (9) Lugd. Batav. 1595, in-8o.

(10) Camerar. *Præcept. Honestatis atque Decoris pueril.* — Stigel. *Poemat.* vol. II, l b. IV. eleg. 8. — Gabr. Cossart. *Carmina.* Paris, MDCXCX,

Externorum qui varie variisque linguis, vel pressius, vel liberius hanc fabulam reddiderunt, nullum afferam, ut in illis literis hospes, neque ultra aliorum testimonia edoctus (1), sed nostros, quia nusquam magis inclaruerit Prodicius Hercules, melius visum est operæ pretium recensere.

Igitur, prætermissa illa de *Rosa* vetusta fictione, cujus in priori parte, puellula quæ nominatur *Otiosa* et ostiolum amanti reserit, ad similitudinem Prodiciæ Voluptatis satis accedit (2) ; in posteriori autem, Ratio Juventam iisdem adumbrat coloribus quibus depingitur antiqua Voluptas : Voluptatis (*Délit*) ceterum famula est, et male facere assuevit (3) ; prætermissa quoque, quæ Prodicum longius sequitur, Adelardi Bathii paulo vetustiori imitatione, ubi juvenem, in valle Turonensi, inter varias artes, quæ de ejus animo decertant, positum videas (4) ; ad recentiora tempora descendamus. Primus inter egregios poetas qui antiquam Herculis fabulam repetiere, occurrit Joach. Bellæus, qui ingeniose, paucissimis versibus, totam quam explicuerat herois vitam Prodicus, complexus est (5). Eodem tempore eam vulgavit in suis Tetrastichis Guid. Faber Pibracius (6), et paulo post, Theod. Agrippa Albiniacus simili modo adolescenti cuidam generoso Fortunam, Virtutemque, in illa flagitiosa Valesiorum aula, in somnis adstitisse finxit ; atque haud immerito antiquum commentum hic et magis quam apud

p. 244, in-12. Hic Themistii memor fuit et Virgini Mariæ Virtutis partes dedit ; inscribitur carmen : *Maria Custos*.

(1) De his vid. Cubæus, *Dissertat. de Prodic.* p. 15.— V. cl. J. V. Leclerc in notis ad Cicer. supra laudatis. — Cf. Lemaire, not. ad Silium Italic. xv.

(2) *Roman de la Rose*, edit. gothic. sine anno et loco (1529 ?) : *Comment Dame Oyseuse ouvrit la porte à l'Amant.*

(3) Ibid. Jehan de Meung : Jeunesse est *chamberière* de *délit.*

(4) Jourdain, *Recherches sur l'âge et l'origine des traductions d'Aristote*, p. 29.

(5) J. du Bellay, *Œuvres Françoises.* Rouen, pour Georges Loyselet, 1592, in-12, fº 135, B. — *Recueil de Poésies*, Ode V, à Monseigneur le cardinal de Guyse

(6) *Quatrains moraux*, xxxv.

Silium, nova forma, novisque coloribus, reviruisse diceres (1).

Recentioribus seculis, plurimi philosophi et oratores interpretati aut imitati sunt Sophistæ Ceii allegoriam; atque, cunctis mirantibus eam, haud minus sane mirere quod nemo intellexerit, prædicaveritque eum qui tam pulchre, tam vere, tam digne de Virtute locutus est, non fuisse hariolum quemdam et circulatorem, nulla rerum gravitate fretum, et verbis modo canoris, concinnisque intentum. Quos immensum esset singulos vel uno verbo referre : jam post tam multa et fortasse plura de hac re, sit satis præclara duo poetarum nomina adscribere, si quidem inter Prodici clientes Voltarium et Alf. Mussetum recensere possimus. Ille enim in carmine quod sub titulo *Sesostris* fertur, Gallorum vota spesque ingeniose cecinit, et juvenem, ubi primum iniit principatum, induxit, angelo ducente, duabus mulieribus, perinde ut apud Prodicum, occurrentem; atque unam quæ Voluptas est, obiter uno alterove osculo colentem, alteri autem, quæ Sapientia dicitur, sese omnino tradentem (2); hic, in carmine quod inscribitur Rolla, illum quoque admisit Herculem, qui, quum pulchrior ei Voluptate Virtus visa sit, per totum terrarum orbem æternam secum deducit Justitiam.

His obiter et quam brevissima tantum nota, ut sine intermissu nostram viguisse allegoriam videas, adjiciam hunc a versificatore quodam, nomine *Le Bailly*, in fabella dramatica esse tractatam, cujus titulus est *Le Choix d'Hercule.* (3) Cui, quum hos nostratis Fontanii versus notissimos :

> Aucun chemin de fleurs ne conduit à la gloire ;
> Je n'en veux pour témoin qu'Alcide et ses travaux.

et Metastasii tetrastichon ex ejusdem argumenti fabula excerptum inscripsit, tum *heroïcam saltationem* Franci Pompiniani (*Les désirs*), atque carmen quo ipse, Metastasii exemplo, v. cl. Stepha-

(1) T. A. d'Aubigné, *Les Tragiques*, II. *Les Princes.* — Vid. *Bulletin du Bibliophile*, 1854, Janvier et Février, p. 629, quid de hoc egregio Albiniaci opere optime disseruerit v. doct. Isid. de Gaillon.

(2) Voltaire, *Sésostris* Œuvres, T. 26, p. 526, in-4°. Genèv. MDCCLXXVII.

(3) 1811.

nus Napoleonis I cum Maria Ludovica nuptias celebravit, imitari confessus est.

Denique, ut ea de re finem dicendi faciam, liceat addere non minus et antiquitatis et recentiorum temporum artificibus placuisse egregiam Prodici fabulam. Etenim nos Philostratus docet eam sæpe picturis expressam fuisse, et laxius demonstrat Vinandus Pighius tantum huic allegoriæ tribuisse Græcos Romanosque, ut optimæ spei adolescentum statuas et imagines Herculis Prodicii forma frequenter effinxerint. Ad eam, eo quidem judice, referri videntur duo Herculis simulacra quæ tum in Capitolio collocata tradit, et illi, quos in puerorum optimæ spei memoriam factos *Herculillos* vocat, et hic demum *Hermeracles*, sive Hercules Prodicius quadrati Hermæ figura factus, quem Romæ vidisse narrat (1), cujusque in basi incisam legit hanc, quæ postea in *Anthologia* inserta est, inscriptionem :

ΗΛΙΚΙΗΝ ΠΑΙΣ ΕΙΜΙ, ΒΡΕΤΑΣ Δ'ΕΣΤΗΣΑΤΟ ΦΗΛΙΞ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΕΙΚΩ· ΟΙΣΘΑ ΜΕ ΚΑΚ ΠΡΟΔΙΚΟΥ (2)

Quam statuam suis *Imaginibus* inseruit Fulv. Ursinus (3) cum inscriptione græca, quam ex eo reposuimus. Hæc non sola sunt quæ constet antiquæ artis monimenta Prodiciam fabulam expressisse. Atque in *Thesauro Brandeburgico* gemmam (quam jam attigimus) attulit Begerus, in qua, ex narratione Xenophontis,

(1) *Hercules Prodicius*, seu *Principis Juventutis Vita et Peregrinatio*, per Stephan. Vinand. Pighium Campensem. Antuerp. ex Officina Christoph. Plantin. M.D. LXXXVII, p. 14.

(2) V. *Anthol.. Græc.* edit. Jacobs, T. IV., p. 155.—Pighius sic transtulit :

Solibus exiguis puerum me discite : Felix
Herculeum signum collocat ex Prodico.

Fusius idem epigr. vertit Laur. Gambara :

Hanc posuit patris effigiem de marmore Felix,
Quæ pueri vultus Herculis ore refert.
Cetera quis nosset, quæ tempore gessimus illo,
Ni Prodici Herculeam perlegat historiam?

(Apud Fulv. Ursin. *Imagines et Elogia*, Venetiis, 1570, p. 60, in-f°.)

(3) Ibid.

Herculem coram Virtute et Voluptate sedentem effinxit sculptor. Sed illam Palladis, hanc Veneris habitu induit, quod ex priscis monumentis acceperat Herculem Palladi vere accessisse, eamque maximis in laboribus et comitem et adjutricem habuisse (1). Ejusdem argumenti numisma describit Petitius (2) : quod quum neque ubi exstet, neque quo metallo, quo ve modulo cusum sit, dixerit, idem forsan esse atque Begeri *cameum* suspicor, quamquam in eo Veneri prægredientem Amorem notaverit. V. Cl. Welckerus cujusdam vasis antiqui imagines olim edidit, atque eodem sensu interpretatus est (3). Hic voluptas ingeniose effingitur alata, ut Eros, seminuda, quasi textilem aerem induta : Amoris donum, vittas Herculi porrigit cum patera et sertis. Hic et adest Pallas pro Virtute a qua galeam oblatam accipit juvenis. Juxta, ædicula, quo perveniendum indicat, et quod sit viæ electæ præmium. Et sane mirum eadem in tabulis recentioribus reperiri, quarum artifices minime hujus vasis gnari esse potuere (4).

Bœttiger et vasis picturam affert quæ magis ad initiationes pertinet. Juvenis enim stat inter *Mysin* et *Terpsin*, oculis conversis ad speculum quod illa porrigit.

Apud recentiores, optimorum pictorum ingenio persæpe occurrit celeberrimum illud Herculis judicium ; et conati sunt multi tabulis, maxima diligentia, ratione tamen diversa, mandare. Interquos maxime inclaruere Julius Romanus, Annibal Carraccio et Nicolaus Poussin : a quibus proxime non indigni sunt qui numerentur Gaspardus Crayer et Gerardus Layressius.

Primus « *Deliberationem omnium difficillimam* » (5) personis effingere voluit : utrique feminæ attentam aurem præbet Hercules,

(1) Beger, *Thesaur. Brandeburg.* In-f°., 1696.

(2) *Manuel des Artistes et des Amateurs*, T. II, p. 224; édit. in-12, 1770.

(3) *Annal. Institut. Archæolog.* T. IV, *Scolar. Ephemerid.* 1831.

(4) Ceterum de his omnibus, vid. Bœttiger. *Hercules in Bivio e Prodici fabula et monumentis priscæ artis illustratus.* 1829.

(5) Hic est excusæ tabellæ titulus, quam videre est inter Jul. Romani opera; Biblioth. Imperat. B, b, T. III, p. 93. — Cf. Cicer. *De Offic.* I. 32.

quarum altera, pectore nudo, crinibus expassis, manu porrecta, accedenti similis, ad se jamjam trahere virum confidit; altera, constanter assidens, ut quæ dum venire velit exspectat, digito præmonstrat cœlum quo magis quam ad Herculem intenduntur oculi. Idem quoque jucunda arte judicium Paridis expressit (1).

Pretium operæ est legere in *Musæo Regio* quæ acerrimo judicio de Layressii tabula cum ejusdem argumenti pictura Annibalis disseruerit vir clarissimus et historiæ egregius scriptor, et artium doctus intelligensque æstimator (2). Minime quidem minutissimis punctis inhæret, ut qui hoc illove colore vestes non sine aliqua artificis sententia imbutas esse volunt (3); sed, examinato utriusque ingenio et animo et vivendi genere, hinc veram ducit lucem qua illustret omnem de tantis operibus disputationem. Ita, in Annibalis tabula philosophi mentem, Layressii vero figuris dissolutos artificis mores apparere notat (4). Ibidem unius inter optimos qui ex arbore Prodicia literis pullulavere surculos, idoneam affert notitiam, æstimato, paucissimis quanquam verbis, scenico Metastasii ludo qui inscribitur *Alcide al Bivio* (5).

G. Crayer haud æque ac priores Prodici vestigiis institit : pro juvene virum, jam leonis devicti pelle indutum, pro Virtute Minervam, pro Voluptate amicam sese jam deseri dolentem, viro amplexibus adhærentem, et, si abeat, mori minitantem haud sine laude delineavit. Præterea Tempus, Cupido, puella Herculi flores offerens, et hujuscemodi alia ab antiquo figmento non nihil alienantur. Aliquid hujus tabulæ et priorum exhibuit simile Nico-

(1) Ibid., p. 29.

(2) F. Guizot, *Musée Royal*, in-f°.

(3) Bellori, *Vite di Pittori*, p. 35, de qua re vid. Winkelmann. *De Allegoria I*, p. 234. — Consul. Annib. Caracc. opera T. v, p. 40, Biblioth. imp.

(4) Attamen, tanti viri pace dixerim, de partibus cujusdam, in Gerardi pictura, vetulæ mulieris os sibi digito prementis, errasse mihi videtur, quum eo gestu silentium promitti a meretricis ancilla non intellexerit.

(5) *Opere del signore abate P. Metastasio*, T. viii, in-4°. Parig. 1781, ubi egregiam vid. imaginem excusam, quæ non indigna est cum illis nobilibus tabulis comparatione.

laus Poussin : scilicet factis jam nobilem et laurea cinctum inducit Herculem, quem alloquitur mulier formosa, prædiviti cultu, et, capite floribus redimito, dum viro rosas porrigit Amor; sed contra, patrium cœlum digito monstrat Virtus, cujus monitis libentius, licet adhuc hæreat vir in ambiguo, aurem patefacere videtur.

Quin, tanto Prodici fabulam studio amplexus est vir ingenuarum artium amantissimus, Shaftesburius comes, ut non modo in copiosa de historica pictura dissertatione (1) hoc elegerit argumentum quo de illa arte quid vellet explicaret, sed etiam, prout mente conceperat æri incidendum curaverit.

Denique, nuperrime (1855), curantibus Parisiorum ædilibus, in maxima Basilicæ Urbanæ exedra, totam hancce Herois historiam tabularum serie lacunari appictarum, miro artificio exsecutus est egregius pictor Eugenius Crucius (Eugène Delacroix); qui quales Prodicias *Horarum* imagines nobis ex istis rarioribus reliquiis animo concipere licet et restituere, concepit ipse et restituit. Postquam, sicut Ceius magister, a nobili bivio incepit, per varios labores, usque ad cœlum viro viam munivit (2).

(1) *Journal des Savants*, édit. Holland. Nov. 1712, p. 483-520, ubi Herculis fabula ex Xenoph. narratur. — Cf. ejusdem viri *Characterisks of men*, T. III, p. 345, London, 1737, in-8°. Vid. et *Le Spectateur*, T. II, p. 337.

(2) Uni inter tot et tam egregios tum remotissimæ antiquitatis, tum recentiorum temporum viros, Mich. Montanio Virtutem fingere placuit in Campo floribus plurimis, variisque consito, Fortuna ac Voluptate comitantibus, habitantem. Cujus hunc locum vid. *Essais* I, 25 «... La vertu n'est pas, comme dict l'eschole, plantée à la teste d'un mont coupé, rabotteux et inaccessible : ceulx qui l'ont approchée la tiennent au rebours, logée dans une belle plaine fertile et florissante d'où elle veoid soubs soy toutes choses; mais si peult-on y arriver, qui en sçait l'addresse, par des routes ombrageuses, gazonnées et doux fleurantes, plaisamment, et d'une pente facile et polie comme est celle des voultes célestes. Pour n'auoir hanté cette vertu suprême, belle, triomphante, amoureuse, délicieuse, pareillement et courageuse, ennemie professe et irréconciliable d'aigreur, et de desplaisir, de crainte et de contraincte, ayant pour guide nature, fortune et volupté pour compaignes; ils sont allez, selon leur foiblesse, feindre cette sotte image, triste, querelleuse, despite, menaceuse, mineuse, et la placer sur un rochier à l'escart, emmy des ronces : fan-

tosme à estonner les gens. » Ubi virtutem solito et æquo tristiorem, horrendoque et prope fœdo vultu effingi animadvertas, quæso. Melius etiam veteres idolorum cultores utriusque vices et colores proprios servavere, siquidem, quum illis placuit Voluptatis victoriam depingere, *Volupiam* (*) sub mulieris *pallidæ* specie effinxernnt, quæ. reginæ instar, in loco sublimi sedens, Virtutem pedibus proterere videbatur. Sed majori, ut opinor, sapientia fuit Dantes, primo quidem aspectu horribilem describens Voluptatem, balbam, strabam, pedibus distortam, mutilis manibus, *pallido colore* mulierem, sed quæ, prout magis sese aspicientis insinuabat animo, expedite loqui inciperet, in pedes sese erigeret, vultuique ambiguo iis coloribus inductis quos vellet amor, blanda voce caneret : « *Io son dolce sirena.....* » Itaque se narrat poeta ab ea sic mutata (qualis in somnio quidem videbatur et re vera sese producere solet) dulcissimis verbis illiciendum fuisse, nisi statim Dea quædam sancta atque sedula (*una dona santa e presta*) occurrisset, quæ alterius arreptas vestes abscidit et ventrem patefecit, unde tantus effundebatur fœdor, ut e somno ipse excitatus fuerit (*).

(*) M. Verrii Flacci *Fragm.* edent. v. d. Fgger. p. 18, in-18. — Cf. Macrob. *Saturnal.* I. x

(*) Dant. *Purgator.* Cant. xix, init.

INDEX.

APPENDIX.

Vidi ac perlegi ;

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, pridie id. Mart. ann. M DCCC LVII,

Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

E typis E. PIGELET, via dicta Jacques-Cœur, 9.


DUE DEC 26 '47
CHARGE

